




COLLOQVIA
sive
EXERCITATIO LATINÆ LINGVÆ
IOANNIS LVDOVICI VIVIS VALENTINI.


JOAN. THOMÆ FREIGII notis, ex præstantißimis quibusque autoribus desumptis, illustrata.

ADIECTUM habes etiam in fine INNICEM triplicem, & quidem locupletissimum, quorum primus res & verba : alter nomina Auctorum, qui in his notis continentur & citantur : ultimus Dialogorum argumenta vel brevissimas summas complectitur.



Cum gratia & privilegio Imperiali.

NORIBERGÆ.



GENEROSO

MAGNÆQVE SPEI ADOLESCENTI, DOMINO CAROLO à Castelleto, Castelli & castri noni Baroni, domino Sorcei, Bassavanti &c. Domino suo

S. P. D.

JOAN. THOM. FREIGIVS J. V. D.

LVDOVICVM VIVEM PUER *etiamnum ita adamàvi, ut ne adhuc quidem ejus amorem mihi ex animo excidisse sentiam. Semper enim mihi in philosophia & liberior & veracior aliis, & inter primos fuisse, qui superioris seculi barbariem & sophisticam agnoverit, agnitamq́ue protulerit, convicerit, afflixerit, visus est. Ad illam verò rectè sentiendi libertatem, minimeq́ue servilem in aliorum sententiis mordicus retinendis stultorum philosophastrorum morem: adhibuit etiam purius & elegantius sermonis genus, quod illum, in tanta barbarie & omnis politioris literaturæ ignaro seculo*

 natum,

natum, assequi potuisse persæpe mirari soleo. Vidit igitur quid legitimè philosophandi, rectéque judicandi rationi deesset, & errores cæcorum sophistarum detexit, eorum labyrinthos retexuit, &, ut Philosophi loquuntur, τὸ μὴ ὂν demonstravit. Unum tamen illi defuisse videtur, quod quid τὸ ὂν esset, meditatus potius quàm cognitione assecutus esse videatur. Quæ cum in nostro Vive animadvertissem, sæpè mecum optare me memini, ut tandem vir aliquis magnus, erroribus illis & corruptelis artium sublatis, τὸ ὂν & vera constantiáque doctrinarum insignium præcepta scholis philosophorum proponeret. In his cogitationibus hærenti, accidit ut in P. Rami libros inciderem, in quibus cum quasi expressam illam votorum, quæ Vives fudisset, imaginem conspicerem, gaudio exilui, quòd quæ Vives fundamenta jecisset, hunc absolvisse & fastigium imposuisse cernerem. Sed de cæteris Vivis libris nunc disserendi non est locus. Ad dialogos hos pervenio, Quos cum studiosè à pueritia legissem, eosdemque certatim in omnibus fere scholis enarrari viderem, mul-

multos autem de difficultate vocabulorum, quæ paßim minimè obvia occurrunt, conquerentes audirem: eas notas, quas jam olim penè puer in hos congesseram, typographo committere constitui, ut eo labore sic publici juris facto, paßim uti frui omnibus liceret. Est sanè hic libellus multis difficilibus locis refertus, quòd ab insigni doctóque artifice scriptus est, qui ex præstantißimis veterum Latinorum & Græcorum autorum monumentis quasi thesaurum vocabulorum propriorum & significantißimorum in unum volumen colligere, & instar sedulæ apiculæ constipare voluit. Ut omittam reconditam cognitionem rerum variarum, historias ubique doctè aspersas, tot proverbia, tot similitudines, tot præclaras sententias: quibus omnibus animi teneræ ætatis optimè imbuuntur: & hoc quasi primo lacte jucundißimè uberrimeq; aluntur: adeò ut ad prima Grammaticæ elementa & Rhetoricæ Logicæq; principia addiscenda, vix pueris ullus liber utilius consultiusq; proponi poßit. Nec me movet quod Hispanus natione fuerit. P. Ramus Gallus est, Era-

ſmus Batavus, Sigonius Italus, Glareanus Helvetius, Melanchthon Germanus. Ego nationem non fugio, cum habeo eruditionem quam ſequar. Nec agitur hîc de religione aut fidei articulis. Quanquam ſi eam pietatem & rerum ſacrarum cognitionem ad Chriſtianam eccleſiam afferrent plerique, quam Vives attulit (ad vivum id non reſeco) fortaßis & Hiſpani haberent quod libenter & honeſtè etiam in ſuis adverſariis imitari poſſent. Multis certè & piis præceptis etiam hi dialogi referti ſunt, & alii ipſius libri, ſummo acumine ſummáque prudentia ſcripti, oſtendunt non usquequaque illi mores vel ſuæ vel alterius gentis in omnibus & per omnia placuiſſe. Atque utinam genti illi, quæ alioqui laudis & ethicæ doctrinæ ſtudioſiſsima eſt, Vivis ſui ſcripta magis cognoſcere liberet, quàm quorundam recentium ſophiſmata: non tantum opibus & potentia, ſed etiam ſolida eruditione politáque philoſophia haud dubiè omnibus nationibus præſtaret. Verùm labor longius. Tibi verò, CAROLE generoſe, hos dialogos

logos cum meis notis inscribere libuit, primum quòd tuæ ætati & conditioni eos non infrugiferos futuros putem. Continent enim, præter primam linguæ institutionem, præcepta quoque ea, quæ adolescentibus, qui aliquando ad Rempublicam gubernandam accessuri sunt, scire & in tenera ætate imbibere, ipsis honestum, Reip. verò salutare est. Accedit Pantaleontis Thevenini, summi mei amici & in vera philosophia familiam suæ gentis ducentis, amor erga me: cuius memoria & sermonum de multis philosophiæ iisq; reconditis locis recordatione, prorsus ἀναζωπυρῦμαι. Sed de causis satis. Tu, generose adolescens, hoc mei erga te studii argumentum, tenue illud quidem & puerile, at ex animo tui studioso profectum, ut æqui bonique facias, vehementer oro, meque ut tibi commendatum habeas, rogo. Vale.

Calend. Aprilis, Anno 1582.



VIVES PHILIPPO CAROLI CÆS. AVGVSTI *filio hæredi optimam mentem.*

LATINAE LINGUAE permagnae sunt & ad loquendum, & ad rectè sentiendum utilitates. Est enim ea velut thesaurus quidam omnis eruditionis: quoniam magna & præstantia ingenia Latino sermone disciplinas omnes conscripserunt: ad quas nemo potest pervenire, nisi per linguæ illius cognitionem. Quam ob causam non gravabor, inter majorum studiorum occupationes, hac quoque parte pueritiæ rudimenta adjuvare. Conscripsi in usum Latinæ linguæ primam loquendi exercitationem, quam pueris, ut spero, conducibilem, tibi principi puero visum est dicare: cùm propter patris tui benevolentiam erga me summam, tum quod in animo tuo ad rectos mores formandos optimè de Hispania, hoc est, patria mea, merebor, cujus salus sita est in tua probitate ac sapientia. Sed hæc à Joanne Martinio Siliceo, institutore tuo, & copiosius audis & crebrius.



SVR-

SVRRECTIO MATVTINA.

Beatrix puella, Emanuel, Eusebius.

Dialogus (Latinis colloquium, collocutio, sermo) à Διαλέγεσθαι dicitur: quo genere Plato in primis delectatus est. In hoc autem primo sive dialogo sive sermone quinque officia describuntur, quæ ingenuis adolescentibus & pueris manè curanda sunt: nimirum surgere tempore matutino, quod studiis amicum est: induere se: pectere, lavare, orare.

IEsus Christus exuscitet vos à somno vitiorum. Heus pueri, estisne hodie evigilaturi? EUS. *Nescio quid inciderit mihi in oculos, ita videor eos habere plenos arenæ.* BEAT. *Hæc est tua prima cantio matutina & bene vetus: aperiam fenestras hasce ambas, ligneam & vitream, ut feriat clarum mane vestros amborum oculos. Surgite, surgite.* EUSEB. *Tam multo manè?* BEAT. *Propior est meridies quàm aurora. Vis tu Emanuel recentem subuculam?* EMAN. *Nihil nunc est necesse: hæc est satis munda, cras sumam alteram. Cedo mihi thoracem.* BEA. *Quem? simplum? an diploidem?* EMA. *Quem voles, mea nihil refert. Porrige huc simplum, ut, si sim hodie lusurus pila, minus graver.* BEA. *Hic est semper tuus mos: prius de lusu cogitas quàm de schola.* EMAN. *Quid tu dicis inepta?*

I. Surgere.

II. Induere.
Subucula.

Thorax.

epta? & schola ipsa vocatur ludus. BE. Ego non intelligo vestras grammaticationes & sophismata. EMA. Da ligulas astrictorias coriaceas. BEA. Fractæ sunt: accipe sericas, & sic jußit tuus pædagogus. Quid jam? vin' femoralia & tibialia? quoniam est æstus. EM. Minimè verò, dato fœminicruralia: quæso constringe me. BEA. Quid tu habes brachia fœnea, aut butyracea? EMA. Non, sed filo tenui consuta. Hui, qualia dedisti mihi adstrigmenta exarmata, & lacera. BEA. Memineris te heri alea perdidisse integra. EM. Qui scis? BEA. Ego per rimulam ostii observabam te cum Guzmanulo ludentem. EM. Amabo, ne id pædagogus resciscat. BEA. Imò ego narrabo, cum primum appellaris me deformem, ut soles. EM. Quid si rapacem? BEA. Quid vis, modò ne deformem. EM. Cedo calceos. BE. Utros? longo obstragulo, an brevi? EM. Tectos, propter lutum. BEA. Propter lutum aridum, quod alio nomine vocatur pulvis. Sed bene facis: nam in apertis cingulum est fractum, & fibula amissa. EM. Indue rogo. BEA. Tu ipse facito. EM. Non possum me flectere. BE. Tu quidem facile te curvares, desidia verò tua difficile: an deglutisti ensem, ut circulator ille nudiusquartus? adeóne es jam delicatus? quid facies grandior? EM. Adstringe nodo laxo gemino: quod est elegantius. BE. Nihil minus, solveretur nodus ilico, & decideret tibi calceus è pedibus: præstat vel gemino

Ligulæ. Femoralia. Tibialia. Fœminicruralia, Calcei,

astri-

astricto, vel astricto & laxo. Sume tunicam manicatam & cingulum textile. EM. *Minime id quidem, sed coriaceum venatorium.* BE. *Mater vetat: vis tu omnia arbitratu tuo facere? & tu heri fregisti aciculam fibulæ.* EM. *Non poteram alioqui exfibulare. Da ergò illud puniceum ex lino.* BEA. *Cape: cinge te cinctu Gallico, pecte caput prius radiis rarioribus, tum densioribus, apta pileum vertici, ne in occipitium rejicias more tuo, aut in frontem & oculos.* EM. *Prodeamus jam tandem.* BEA. *Quid? illotis manibus & facie?* EMA. *Ista tua tam molesta curiositate taurum jam enecasses, nedum hominem, videris mihi non puerum vestire, sed sponsam.* BE. *Eusebi, adfer pollubrum cum urceolo, funde altius: stilla potius ex epistomio, quàm profundas. elue sordes istas ex nodis digitorum. ablue os, & gargariza: frica benè cilia & palpebras, tum glandulas sub auriculis duriter, cape linteum, exterge te. Deum immortalem, de omnibus es sigillatim admonendus: nihil ne ipse tua sponte faceres?* EMA. *Vah: nimium es importuna, & odiosa.* BEA. *Et tu nimium scitus puer, ac formosulus. Deoscula re me, flecte jam genua, & recita precationem Dominicam, & preces alias, ut est tibi in more, antequam pedem ponas extra cubiculum. Vide mi Emanuel, uti de re nulla alia cogites, dum oras. Mane paulisper, appende sudariolum hoc de zona, ad nares emungendas & purgandas.*

EM.

Tunica. Cingulum.

III. Pectere.

IV. Lavare manus, faciem, os.

V. Orare.

EM. Sum ne satis ad arbitrium tuum compositus? BE. Es. EM. Ad meum minimè, quoniam jam tandem ad tuum. Ausim facere sponsionem me horam unam vestiendo consumsisse. BEAT. Quid si vel duas? quo eras alioqui iturus? quid acturus? fossurus credo, aut araturus? EMAN. Quasi desit quod agam. BEA. O magnum virum, vehementer in nihil agendo occupatum. EMAN. Non hinc abis cavillatrix? abi, aut ego te abigam hoc calceo, aut calanticam tibi detraham de capite.

Cantio matutina] ὄρθριον ᾆσμα, ut vocat Gellius, **ein Tagweiß.**

Ambas] Distributio ex materia. Fenestra lignea, **ein laden.** Vitrea, **ein glaßfenster.**

Ut feriat] A fine.

Subuculam] Subucula indusium est, seu, ut Galli vocant, camisa, **ein hembd.** Vide Varronem.

Simplum] Alia distributio.

Diploidem] Diplois substantivum pro thorace duplicato & quavis veste duplicata, διπλοΐς, lena duplicata, **ein gefütterter Mantel.**

Ligulas] Ligula quasi lingula, id est, parva lingua: hinc per metaphoram ligula, **ein nestel:** dicta astrictoria ab astringendo, quia vestes his astringuntnr: Est hic etiam distributio ligularum è materia.

Femoralia] Femoralia à femoribus, **gsäß:** tibialia à tibiis, **strümpff:** fœminicruralia à fœminibus seu femoribus & tibialibus conjunctis, **gantz hosen/nicht abgeschnitten.** Nova autem sunt novarum rerum vocabula.

Astrigmenta] pro ligulis, quas supra dixit. Et exarmata, id est, sine ferris, **ohn stefften.**

Utros]

Utros] Alia distributio calceorum è forma. Est autem obstragulum corium calcei superius. Calcei longo obstragulo, seu tecti, lackenen schuch. Brevi obstragulo, außgeschnitten: qui & aperti dicuntur.

Aridum] Ironia est, qua corrigit abusum vocabuli, lutum, quod de humido cœno usurpatur, cum Emanuel pulverem vellet dicere.

Cingulū] Cingulum calcei aliàs corrigia dicitur. Græcis, ὁρμός, ein riem. ὁρμοὶ, ἱμάντες τῶν ὑποδημάτων.

Fibula] Der ring darein man den riemen thut.

Circulator] agyrta, ein gauckler.

Nudiusquartus] vor vier tagē/quasi nunc dies quartus.

Nodo[Nodus laxus geminus, zwey schleifflein / nodus geminus astrictus, zwey knöpfflein: nodus astrictus & laxus, ein knopff vnd ein schleifflein.

Manicata] Cum manicis. Manica, ein ärmel. Virgilius: Et tunicæ manicas & habent redimicula vittæ.

Cingulum] Alia distributio cinguli.

Aciculam] Metaphora, id est, ferrum, quo cingulum affigitur, den dorn im ring: quod etiam de corrigia dicitur.

Exfibulare] id est, cingulum à fibula liberare. Novum verbum.

Gallico] Germani partem illam cinguli, qua ensis innectitur, ad genua usque demittunt: femora itaque non ilia cingunt: quo facilius enses illos oblongos, quos gerunt, distringere possint. Flandri aliquanto superius quàm Germani cinguntur. Galli verò ferè ad umbilicum cingula gestant. Petr. Motta.

Radiis] Metaphora est, pro qua Germani dētes dicunt. Et est rursus distributio. Nam radii pectinis alii sunt rariores, die grossen zähn/alii densiores, die kleinen.

Illotis] Proverbium est: ἀνίπτοις χερσί: hîc tamen propria est locutio.

Ista tua] A majore.

Pollubrum] Vas quo aqua ex ablutis manibus polluta excipitur: handbecken.

Urce-

Urceolo] Urceolus seu gutturnium, vas angusti oris, unde guttatim aqua manib. affunditur, ein gießfaß.

Epistomio] Epistomium, obturaculum, quo patefit vel obturatur siphunculus vel fistula gutturnii: das hänlein.

Zona] cingulo. proverb. Zonam perdidit.

Sponsionem] Sponsionem facere est certare pro precio, wetten. Virgi, eclog. 3. vocat deponere & pignore certare.

Calanticam] Calantica tegmen capitis muliebre, in humeros demissum, ein schleyer. Gallis couvrechef ou chapperon.

Sententiæ.

Puerorum mos est, semper prius de lusu cogitare quàm de schola.

Desidia omnia reddit difficilia.

Qui in pueritia est delicatus, quid faciet grandior?

Pueri non debent omnia suo arbitratu facere.

Tardus puer est & piger, qui in omnibus est sigillatim admonendus, nec quicquam sua sponte facit.

Puer ante recitatam precationem Dominicam non debet pedem ponere extra cubiculum.

De re nulla alia cogitandum est dum oramus.

Puero diligenti & maturanti, non deest quod agat.

Multi sibi videntur magni viri, dum vehementer in nihil agendo sunt occupati. Nihil autem agere, est res alienas & nugatorias agere.

PRIMA SALVTATIO.

Puer, Mater, Pater.

Hujus dialogi tres partes sunt: prima continet consalutationem matutinã, ubi in primis diminutiva delicias, quas pueri in tenera ætate faciunt, solerter exprimunt. Secunda continet pueri lusus cum cane. Tertia

tia confabulationem patris cum filio de schola, arrepta occasione à canicula.

*S*Alvus sis mi pater, salve mea matercula, precor vobis felicem hunc diem germanuli, propitium vobis opto Christum sororculæ.* PAT. *Mi fili, sospitet te Deus, evehat ad ingentes virtutes.* MAT. *Servet te Christus, mea lux. Quid agis, mea dulcedo? quid vales? quomodo nocte hac quievisti?* PV. *Rectè valeo, & placidè dormivi.* MAT. *Christo gratia: proprium hoc velit tibi esse.* PV. *Ad mediam tamen noctem excitatus sum è dolore capitis.* MAT. *Me perditam & miserrimam, quid narras? qua parte capitis?* PV. *Ad brechma.* MAT. *Quàm diu?* PV. *Vix octava parte horæ: postea redormii, nec sensi amplius.* MAT. *Rispiravi, nam exanimaras me.* PV. *Benè sit tibi. Isabellula, para mihi jentaculum. Ruscio Ruscio huc, canicule festivißime. en ut cauda adulatur: ut se in posteriores pedes erigit: quomodo habes? quomodo vales? Heus tu, adfer panis bucceam unam aut alteram, qnam ei demus: videbis lusus scitißimos. Non esuris? nihilne edisti hodie? profectò plus est in cane isto intelligentiæ, quàm in illo mulione crasso.* PAT. *Tulliole mi, lubet mihi tecum paulisper confabulari.* PVER. *Quid mi pater? Nam nihil mihi accidere potest suavius, quàm te audire.* PAT. *Hic tuus Ruscio est belua an homo?* PV. *Belua, ut credo.* PAT. *Quid tu habes, cur sis homo: non ille?*

I. Salutatio matutina.

II. Lusus pueri cum cane.

III. Confabulatio patris cum filio.

ille? tu edis, bibis, dormis, ambulas, cursitas, lusitas: hæc ille omnia. P V. *Atqui ego sum homo.* P A T. *Quomodo id cognoscis? quid nunc habes plus quàm canis? sed hoc interest, quod ille non potest homo fieri: tu potes, si vis.* P V. *Obsecro, mi pater, effice id primo quoque tempore.* P A. *Fiet, si eas quo eunt beluæ, redeunt homines.* P V. *Ibo pater multò libentißimè, sed ubi id est?* P A. *In ludo literario.* P V. *Nullo est in me ad rem tantam mora.* P A T. *Nec in me. Isabellula, audin'? da huic jentaculum in cistellam.* Isab. *Ecquid nam?* P A T. *Frustum panis butyro illitum, vel ficos aridas, aut uvas passas pro obsonio, sed insolatas: nam alteræ illæ viscosæ inficiunt puerorum digitos & vestes: nisi malit cerasa aliquot, vel pruna aurea, & oblonga, insere brachiolum cistellæ, ne excidat.*

Matercula] Tria diminutiva observet puer, Matercula, Germanulus, Sororcula.

Brechma βρέχμα, βρεχμὸς & βρέγμα. Latinis synciput. das vorder theil des haupts oder der stirn / à βρέχω irrigo, Homer. Iliad. ε.

Κύμβαχος ἐν κονίῃσιν ἐπὶ βρεχμόν τε καὶ ὤμους.
Δηθὰ μάλ' εἱστήκει.

Ubi Eustathius scribit, hanc partem ita vocari, quod in infantibus sit non solùm tenera, sed & valde humida, ut videri quodammodo possit βεβρέχθαι, id id est, madefacta esse.

Octava] Octava pars horæ, ein halbe viertel stunde.

Cauda] Vide proverb. Cauda blandiri, κέρκῳ σαίνειν.

Buccea] ein bissen: vox usitata Suetonio. Suidas & Hesychius & Homerus Odyss. ρ. vocant πύρνον, id est,

fragmen-

fragmentum panis, & (ut Terentius vocat) bolum. Athenæus lib. 3. & Lucian. in Crobyle ἔνθεσιν. In euangelio ψωμίον dicitur.

Mulione] Mulio est qui mulum agit, ein Eseltreiber. ὀνηλάτης.

Quid tu habes] Ostendit, hominem nō multum distare à beluis, nisi literis excultus sit: reliquæ. n. actiones naturales cuiq; nostrûm cum brutis communes sunt: sola mentis cultura ab iisdem nos separat.

Fiet si eas] Descriptio seu periphrasis ludi literarii ab effectis. Ludus enim facit ex beluis homines.

Cistellam] Cistella, parva cista ceu capsa, κίστη, λάρναξ, ein trühle/ lädle/ körble.

Ficos] Melius ficus. Martialis:

Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci:
Dicemus ficos Ceciliane tuos.

Passas] A patientia, ut ait Plinius. Græcis σαφίδες, ἀσταφίδες: roseinlein / meertrâuble / weinbeerlein.

Obsonio] Obsonium est omnis cibus præter panem & vinum. Plutarchus in Symposiacis lib. 4. probl. 4. ὄψον peculiariter de piscibus dici ait.

Insolatas] Ad solem exiccatas. Utitur Columella.

Sententiæ.

Filio nihil suavius debet esse quàm patrem benè monentem audire.

Homo à belua edendo, bibendo, dormiendo, non differt.

In ludo formantur homines.

DEDVCTIO AD LVDVM.

Pater, Puer, Propinquus, Philoponus ludimagister.

Philoponus] Nomen hoc præceptore dignum rectè & prudenter ab autore positum est. Debet enim verus

præceptor φιλόπονος, id est, φίλος τοῦ πόνου, amans laboris esse, & diligentia ac assiduitate discipulis suis satisfacere. Est autem Philoponus alioqui proprium nomen Græci interpretis Aristotelis.

Deliberatio de præceptore.

COmmenda te Christo. P V. *Duc nos Iesu Christe, sapientißime dementes, potentißime imbecilles. Quæso mi Propinque, tu qui es versatus in studiis literarum, ecquis est in hoc gymnasio optimus institutor puerorum?* P R O. *Doctißimus quidem Varro: sed diligentißimus & vir probißimus Philoponus, nec eruditionis aspernandæ. Habet Varro scholam frequentißimam, & domi numerosum gregem contubernalium. Philoponus non videtur delectari turba, paucioribus est contentus.* P A T. *Hunc malo. Ellum in porticu gymnasii inambulantem. Fili, hoc est formatorium, & quasi officina hominum, & hic artifex formandi. Adsit tibi Christus magister. Aperi caput puer, & flecte poplitem dextrum, sicuti es doctus, sta jam rectus.* P H I L. *Prosperus sit nobis omnib. tuus adventus, ecquid rei est?* P A T. *Hunc filiolum meum ad te adduco, ut ex belua hominem facias.* P H I L. *Dabo in eam rem operam sedulam, fiet: revertetur ex pecude homo, ex nequam frugi & bonus id verò ne dubitaveris.* P A T. *Quanti doces?* P H I L. *Si puer benè proficiat, vili: sin parum, carè.* P A T. *Acutè hoc dicis & sapienter, ut omnia. Partiamur inter nos igitur hanc curam: tu ut sedulò instituas.*

stituas, ego ut benignè compensem tuam operam.

Sapientissime] Duo epitheta hic propriè Deo congruentia ponit: quorum contraria optime in homines conveniunt.

Ecquis est] Pulchra deliberatio de præceptore pueris deligendo. Nam etsi præceptorem & doctum & laboriosum, id est, Varronem & Philoponum esse conveniat: tamen si alterutro carendum sit, præstat habere Philoponum quam Varronem.

Varro] Varro Romanorum doctissimus fuit. Scripsit de vita populi Rom. de antiquitatibus Rom. de gente populi Roman. de rebus urbanis: de lingua latina. Per synecdochen igitur speciei pro genere, Varronem intelligimus quemvis doctum virum.

Contubernalium] Contubernales olim adolescentes dicebantur, qui rei militaris percipiendæ & provinciæ cognoscendæ gratia magistratus Rom. in provinciam sequebantur, & propterea familiariter cum eis vivebant: neque ab eorum lateribus discedebant. Vide Sigonium lib. 2. de antiq. jur. provincia. cap. 2. Per metaphoram nobis dicitur contubernalis, ein Kostgänger.

Ellum] pro ecce illum. Terentio usurpatum.

Formatorium] Descriptio gymnasii seu scholæ & ludimagistri.

Prosperus] Pro quo & prosper in usu est: quanquam hoc malim.

Ut ex] Ratio à causa finali.

Si puer] Acutè & sapienter dictum de didactro seu Minervali, nam si bene proficiat puer, parum est quicquid dederis præceptori: sin parum proficiat, nimium est quicquid dederis.

Sententiæ.

Magister puerorum sit Varro & Philoponus, id est, doctus, diligens & probus.

Magis aſciſcendus eſt magiſter qui paucis diſcipulis eſt contentus, quàm qui delectatur turba & numeroſo grege contubernalium.

Schola eſt officina hominum, Præceptor eſt artifex formandi homines.

EVNTES AD LVDVM LITERARIUM.

Cirratus, Prætextatus, Titivillitium, Vetula, Tereſula, Oluſcularia.

Nomina in hoc ſermone colloquentium, pleraque aliquid ſerii & antiqui ſignificant. Cirrati pueri dicebantur, qui cirratos & calamiſtratos capillos geſtabant: Krauß haar. Cirrus enim inſtrumentum eſt, torquendis capillis aptum. Martialis:

Nec matutini cirrata caterva magiſtri.

Juvenalis: Flavam

Cæſariem & madido torquentem cornua cirro.

Perſius ſatyr. 1.

Ten' cirratarum centum dictata fuiſſe
Pro nihilo pendas?

Prætextatus puer pro nobili aut patricio ſumitur. Prætexta enim veſtis erat, cui purpura prætexebatur, qua utebantur pueri usq; ad annum 14. vel, ut alii, 16. quo virilem togam ſumebant in Capitolio. Vide Macrob. lib. 1. Satur. cap. 6. Budæ. in prior. annot. ad l. fin. De ſenator. Alexand. lib. 2. cap. 25. Bayſium de re veſtiment. Sigonium lib. 3. de judic. cap. 19. Papirius quidam Rom. prætextatus appellatus fuit, quod in ætate prætextata ſummam prudentiam oſtendit. Vide Macrob.

Titivillitium olim vox fuit nullam certam rem declarans, ſed velut interjectio extremum contemtum indicans. Vox uſitata Plauto. Vide Proverb. Titivillitium.

Oluſcu-

Olufcularia, mulier olera vendens. Λαχανοπῶλις.

Videtur tibi tempus eundi ad ludum? PRAE. *Planè tempus est ut eamus.* CIR. *Non satis teneo viam, credo esse in illo vico proximo.* PR. *Quoties illuc itasti?* CIR. *Ter aut quater.* PR. *Quando cœpisti eò itare?* CIR. *Nudiustertius, ut puto, aut quartus.* PR. *Quid igitur, an non id satis est ad noscendam viam?* CIR. *Non etiamsi eam centies.* PR. *Ego verò, vel si semel, nunquam deinceps aberrarem. Sed tu vadis invitus, & ambulas lusitans, nec viam aspicis, nec domos, nec ulla signa, quæ te postea admoneant, qua sit flectendum, quæ via tenenda. Ego hæc omnia observo diligenter, quia lubens eo.* CIR. *Puer hic habitat in proximo scholæ. Heus Titivillitium, qua itur ad ædes tuas?* TI. *Quid vis? venis à matre tua? mater mea non est domi, ac ne soror quidem: ambæ sunt profectæ ad divæ Annæ.* CIR. *Quid illic agitur?* TI. *Heri fuerunt encænia: hodie invitavit eas mulier quædam casearia ad edendum lac coagulatum.* CIR. *Et tu cur non es unà profectus?* TIT. *Relictus sum hic, ut servem domum: frater meus puerulus abductus est ab eis illuc. sed pollicitæ sunt mihi, se de reliquiis adlaturas partes in quasillo.* CIR. *Quin tu igitur manes domi?* TITI. *Continuo revertar, nunc prodeo lusum talis cum filio hujus cerdonis. vultis & vos venire?* CIR. *Eamus sodes.* PR. *Minimè verò id*

quidem. CIR. *Quid ni?* PRAE. *Ne vapulemus.* CIR. *Vah, non memineram.* TIT. *Non vapulabitis.* CIR. *Qui scis?* TIT. *Quia magister vester perdidit heri ferulam.* CIR. *Hem quomodo nosti?* TIT. *Hodie de domo nostra audiebamus ejus vociferationem quærentis ferulam.* CIR. *Amabo, ludamus parumper.* PRAE. *Tu ludito, si vis: ego ibo solus.* CIR. *Ne me apud præceptorem quæso deferas, dic me detineri domi a patre.* PR. *Vis mentiri me?* CIR. *Quid ni, propter sodalem?* PR. *Quia in templo audivi concionatorem adfirmantem, mendaces esse filios diaboli, veraces* DEI. CIR. *Diaboli vero? apage. Per signum sanctæ crucis, ab inimicis nostris libera nos Deus noster.* PR. *Non potes liberari, si ludas, cùm est discendum.* CIR. *Eamus, tu valeto.* TIT. *Hui, pueri isti non audent paulisper ludere, alioqui cædendi.* PRAE. *Ille est puer perditus, & evadet sceleratus vir. Sed quomodo elapsus est nobis? nec rogavimus, qua esset via ad ludum, revocemus.* CIR. *Abeat in malam rem, nolo sit mihi rursum incitamento ad lusum, percontabimur ab hac vetula. Mater, nostine qua itur ad scholam Philoponi?* VET. *Iuxta eam scholam habitavi ego sex annis, è regione peperi filium natu maximum, & filias duas, transite plateam hanc villæ rasæ, inde est angiportus, tum plateam Domini Veterani, hinc flectite ad dexteram, tum ad sinistram, ibi per-*

conta-

contamini, non procul abest schola CIR. Vah: non poterimus omnia retinere. VET. Teresula, deduc istos ad ludum Philoponi, nam mater hujus est, quæ dabat nobis linum pectendum & nendum. TER. Quid (malum) Philoponi? quid hominis est hic Philoponus? quasi ego norim. loquerisne de illo, qui resuit calceos, juxta cauponam viridem? an de præcone in vico Gigantis, qui alit equos meritorios? VET. Sat scio, nunquam tu nosti ea quæ sunt opus, sed ea quæ ad rem nihil faciunt. Inertißima, Philoponus est Ludimagister ille senex, procerus, luscíosus, è conspectu ædium, quas olim habitavimus. TER. Ah, jam redit in memoriam. VET. In reditu transi per macellum, & eme acetarium, & raphanum, cerasa: cape fiscellam. CIRRA. Duc nos etiam per forum olitorium. TERES. Hac ibitis brevius. CIR. Nolumus isthac ire. TERES. Qui sic? CIR. Quia momordit me illic canis ex domo pistoris, quin & volumus te comitari ad forum. TER. Revertens faciam iter per macellum: nam procul adhuc absumus: & emam quæ sum jussa, postquam reliquero vos in ludo. CIR. Nos cupimus videre, quanti emes cerasa. TERES. Numis senis emimus libras singulas, sed quid ad te? CIRRA. Quia soror jußit me hodie manè sciscitari, & est illic vetula quædam olusculária, de qua si emeris, scio eam & vendituram minoris, quàm

alias, & daturam nobis vel cerasa aliqua, vel thyrsum lactucæ, nam filia ejus ministravit aliquando matri & sorori meæ. TER. *Ne dispendium hoc viæ constet vobis flagris aliquot.* CIR. *Minimè verò: nam satis veniemus tempori.* TER. *Eamus, tantulum deambulavero, quæ misera consumor sedendo domi totos dies.* PRAE. *Quid facis? an tantum sedes ociosa?* TER. *Ociosa verò? minimè certè id quidem, neo, conglobo, glomero, texo, putas vetulam nostram passuram ut ocier? festos dies execratur, in quibus est cessandum.* PRAE. *Festi dies num non sunt sacri? quomodo ergo execratur illa rem sacram? vult ne ipsa execrari, quod est sacrum constitutum?* TER. *Censen' me didicisse Geometriam, ut hæc poßim vobis edisserere?* CIR. *Quid rei est Geometria?* TER. *Ego nescio, nos habebamus vicinam, quæ vocabatur Geometra: Hæc semper vel erat ipsa in templo cum presbyteris, vel presbyteri domi ejus cum illa: itaque erat, ut ferebant, sapientißima. Sed ventum est in forum olitorium, ubi est tandem vestra vetula?* CIR. *Id ego circumspiciebam. Sed eme ab hac, ea lege, ut nobis det aliquid corollarii. Heus amita, puella hæc emet de te cerasa, si aliquid nobis donaveris.* OLVS. *Nihil mihi donatur, omnia venduntur.* CIR. *Nec sordes istæ donantur tibi, quas habes in manibus & collo.* OLVS. *Nisi procul hinc abis impudenticule, has sordes sentient*

tient genæ tuæ. CIR. *Quomodo sentient meæ genæ, cùm tu habeas in tuis manibus.* OLUS. *Redde cerasa furuncule.* CIR. *Sumo exemplum, nam volo emere.* OLUS. *Eme igitur.* CIR. *Si placuerint, quanti?* OLUS. *Numo libram.* CIR. *Ah, acerba sunt, tu anus venefica, vendis hîc populo cerasa strangulatoria.* TER. *Abeamus hinc ad ludum. nam vos argutiis vestris intricaretis me, & detineretis diu. Iam, ut puto, mea vetula furit domi ob moram meam. Hoc est ostium, pulsate.*

Sed tu vadis] Dissimilitudo est, cujus hic protasis est: & est anaphora in voce, nec.

Ego] Antapodosis.

Ad divæ Annæ] Ellipsis Attica est, pro ad templum, vel ædem divæ Annæ. Sic Cicero 2. Philippica dixit ad Opis, pro ad ædem Opis Deæ.

Encænia] id est, nova templi dedicatio. Nam Græcis καινὸν novum est. Kirchweihe. Isidor. lib. 6. & Suid.

Lac coagulatum] gerunnen milch. Coagulum est, quo cogitur spissaturque lac; die renne.

Quasillo] Quasillus corbis, in quem netrices pensum & fusos componunt, ein spindelkorb. calathus etiam & qualus. Grapald. lib. 2. cap. 5.

Deferas] Deferre aliquem, einen angeben oder verrathen. Hinc delator, ein Verräther.

Abeat] Latinis usitata formula in execrationibus, auff an Galgen mit jm.

Villæ rasæ] Valentiæ, urbe Hispaniæ (quæ patria Vivis fuit) est platea, quæ vocatur platea villæ rasæ: vulgò Villeraser.

Angiportus] Vicus angustus & non pervius. Terent. ein klein engs gäßlein, das nicht durchgehet.

Pectendum] linum pectere: flachs hecheln. Plinius: Stupa pectitur ferreis hamis, donec omnis membrana decorticetur. Linum nere. flachß spinnen.

Malùm] interjectio est indignantis, ey ein gut Jar.

Senex] Descriptio personæ ex adjunctis.

Acetarium] ein salat. Antiqui, frugalitatis amãtes, olera hortẽsia acetaria appellabãt ab accipiendo, quòd expedita ac parata semper essent. Grap.lib.1.cap.5.

Raphanum] Raphanus, rettich/ παρὰ τὸ ῥαδίως φαίνεσθαι. Suid. Tertio enim die a satu prosilit & e terra erumpit. Vide Grapald.lib.1.cap.5.

Fiscella] Vas vimineum, ein krätle oder zeinle.

Macellum] Locus, quò venum portantur omnia ad victum necessaria, Speißmarck. Forum etiam olitorium diu vocatum est macellum, ut Grapald.lib.1. cap.5. & locus ubi venditur caro, die Metzg/ ut idem lib.1.cap.4.

Thyrsum] Thyrsus hasta seu virga Bacchi, pampinis involuta aut hederæ foliis, quam in Orgiis Bacchi quatiebant. Hinc Horat.lib.2.Carm.oda 19.

parce Liber
Parce gravi metuende thyrso.

Hinc proverb. Multi thyrsigeri, pauci Bacchi. Hinc thyrsus lactucæ, hasta obvoluta lactucis, & thyrsus cerasorum, virga obvoluta cerasis, & thyrsus carnium, virga cui renes animalium infixi sunt ad assandum, spißlin.

Ne dispendium] Compendium, ein naher weg/ dispendium, ein vmbweg. Est autem ellipsis hic, subaudi timendum est.

Neo] Effecta puellarum per distributionem. Neo, ich spinne. Conglobo, ich haspel oder winde. Glomero, ich mache klüngle oder klowen Texo ich webe.

Geometriam] Decorum observat in puella artium imperita: ut Geometriam pro Dialectica nominet, quæ est ars bene disserendi.

Corol-

Corollarii] Corollarium est additamentum & auctarium emptionis, ein über maß oder zugab.

Amita] Amita est patris soror, quasi tertia à me, ein Baß.

Sumo] Sumere exemplum est prægustare, ut solent facere qui cerasa aut simile quid emere volunt.

Strangulatoria] die ein würgen/oder das maul zusammen ziehen.

L E C T I O.

Præceptor, Lusius, Aeschines, Pueri.

Lusius à ludendo. Æschines nomen proprium Oratoris Græci, qui contra Demosthenem peroravit, à pudore. Cotta proprium nomen civis Roman. ab ira. Continet autem hic dialogus divisionem literarum in Vocales & Consonantes.

PRAEC. *Cape tabellam abecedariam manu sinistra, & radium hunc dextra, quo indices singula elementa, sta rectus, pileum pone sub axilla, audi attentißimè quemadmodum ego has literas nominabo: specta diligenter, quo gestu oris. Vide ut eodem prorsum modo reddas, cum reposcam. Sis mecum. Iam audisti. Sequere nunc me sigillatim praeuntem. Tenes probe?* LUS. *Videor mihi sic satis.* PR. *Unaquæque istarum vocatur litera: ex his quinque sunt vocales,* A, E, I, O, V, *quæ sunt in vocabulo Hispano oveia, quæ est ovis, memineris hujus verbi. Hæc cum unaqualibet, vel pluribus aliarum, syllabam*

Literæ.

Syllaba. bam efficit: sine vocali non fit syllaba, & vocalis ipsa non rarò est syllaba. Itaque aliæ omnes consonantes nominantur: quæ per se nihil sonant, nisi adhibita vocali, habent enim sonum quendam imperfectum & mancum, b, c, d, g, quæ sine e parum sonant. Iam ex syllabis fiunt voces seu verba: ex his sermo, quo beluæ omnes carent. nec tu à belua differes, ni probè sermonem discas. Evigila, & nava sedulam operam. Ito, sede cum tuis condiscipulis, & edisce quæ præscripsi. LV. Non ludimus hodie? ÆS. Non, nam dies est operarius. Eho, tu venisse te huc arbitraris lusum? non est hic ludendi locus, sed studendi. LVS. Cur ergo ludus nominatur? ÆS. Nominatur quidem ludus, sed literarius: quia literis est hic ludendum, alibi pila, trocho, talis: & Græcè audivi appellari scholam, quasi otium: quòd verum sit otium & animi quies, ætatem in studiis agere. Sed ediscamus, quæ injunxit institutor, summisso murmure, ne alii aliis simus impedimento. LVS. Avunculus meus, qui aliquando dedit operam literis Bononiæ, docuit me, melius memoriæ infigi quæ velis, si altius pronuncies, idque confirmari autoritate nescio cujus Plinii. ÆS. Si quis ita velit ediscere suas formulas, in hortos secedat, aut in cœmiterium templi: ibi clamet licet, quoad excitet mortuos. COR. Pueri, hoccine est ediscere? garrire, jurgari: agite, convenite ad præceptorem omnes jussu ejus.

Vox. Sermo. Verum otium.

Radi-

Radium] ein griffel oder zeiger.

Operarius] Quo est operandum. ein werckttag.

Ludus] Locus à notatione seu etymologia.

Pila] Pila (ut Isidorus lib. 18. cap. 65.) propriè dicitur quod sit pilis plena. Ejus species est trigonaria, qua inter tres luditur. Pila autem à Lydis inventa est, cum Lydia universa fame premeretur, aliusq; aliud excogitaret, quo alternis diebus ludentes & quærentes cibum, tempus traducerent, ut scribit Herodot. lib. 1. Pollux & Eustathius pilæ quadruplicem rationem faciunt, ut hic vides.

- Pila
  - Simplex
    - Singularis
      - Cœlestis, οὐρανία, quando in cœlum manu excutitur.
      - Refracta, ἀπόρραξις, ubi solo illiditur identidem resultans.
    - Communis, ἐπίκοινος, ἐφηβική, quando partes hinc inde è silice expulsam scitè excipiunt, ac expeditè ultra metam remittunt.
  - Impostoria, φαινίνδα, ἐφετίνδα & φεννίς, quando uni ostensa alteri adjicitur.

Trocho] Trochus globus ligneus, ad ludum puerilem excogitatus, ἀπὸ τοῦ τρέχειν. Huic non absimilis est turbo, græcis βέμβιξ, cujus speciem describit Virgil. 7. Æneid. sic:

Ceu quondam torvo volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum,
Intenti ludo exercent: ille actus habena
Curvatis fertur spaciis: stupet inscia turba,
Impubesque manus mirata, volubile buxum,
Dant animos plagæ.

Hunc ludum Cato pueris permisit: & utriusque meminit Horatius in arte poëtica, cum ait:

Indoctusque pilæ, discive, trochive, quiescit,
Ne spissæ risum tollant impunè coronæ.

Talis] De his sequente dialogo dicemus.

Otium]

Otium] Nam Græcis σχολὴ otium est.
Avunculus] Frater matris, Mutter Bruder.
Bononiæ] Bononia urbs Italiæ, doctorum virorum, amatrix & mater studiorum.
Cœmiterium] Locus sepulturæ: κοιμητήριον, quasi dormitorium, ἀπὸ τοῦ κοιμᾶν, ein Kirchhof oder Gottesacker. Quod etiam poliandrium dicitur.

Sententiæ.

Homo à belua sermone differt.

Verum otium & animi quies est, ætatem in studiis agere.

REDITVS DOMVM ET LUSUS PUERILIS.

Tulliolus, Corneliola, Lentulus, Scipio.

Hic dialogus varia genera ludorum puerilium continet: & nomina colloquentium è Romanorum appellationibus sumpta sunt. De quibus vide Valer. Maximum & Sigonium.

CORN. *Prosperè redieris Tulliole, libet paulisper lusitare?* TVL. *Nondum, statim.* CORN. *Quid habes negotii?* TVL. *Recolere, quæ magister, memoriæ ut commendarem, mandavit.* COR. *quæ tandem?* TVL. *Aspice.* CORN. *Hui, quæ notæ sunt istæ? credo esse formicas depictas. mea mater, quot formicas & culices adfert Tulliolus, pictos in tabella?* TVLL. *Tace insana, sunt literæ.* CORN. *Quæ vocatur hæc prima?* TVL. *A.* COR. *Cur prima est magis A, quàm hæc altera?* MA. *Cur tu es magis Corneliola.*

liola, quàm Tulliolus? CORN. Quia sic vocor. MA. Et illa literæ ad eundem modum. Sed ito jam lusum, mi fili. TVLL. Hic pono tabellam meam & radium: si quis attigerit, vapulabit à matre: nonne mea matercula. Mat. Etiam mi fili. TVL. Scipio, Lentule, adeste lusuri. SCIP. Quam lusionem? TV. Nucibus ludemus, ad conjectum scrobiculi. LE. Non habeo nuces nisi paucas, & eas quassas ac putres. SCI. Ludamus putaminibus nucum. TV. Quid mihi ea proderunt, etiam si lucrer viginti? nullus est intus nucleus, quem edam. SCI. Ego verò dum ludo, non comedo: si quid volo comedere, matrem adeo. Ista nucum putamina sunt apta ad extruendas formicis ædiculas. LEN. Ludamus par impar acicuis. TVL. Adfer potius talos. SC. Adfer Lentule. LE. Ecce vobis tali. TVL. Quàm sunt pulverulenti & immundi, nec satis purgati à carne, & politi: Iacias. SCIP. Pro primatu ludendi. TVL. Ego sum primus, quid ludimus? SCIP. Astrigmenta. LEN. Ego nolo mea perdere: nam domi cæderer à pædagogo. TVL. Quid vis ergo perdere si vinceris? LENT. Talitra. MA. Quæ est ista humi abjectio? deteritis vestes omnes & calceos, tum loco immundissimo, quin verritis prius pavimentum, & sedetis? adfer scopas. TVL. Quæ erit igitur sponsio? SCIP. Aciculæ in singula puncta. TVL. Imò binæ. LENT. Ego non habeo aciculas, deponam, si vultis, pedunculos cerasorum

I. Lusus nucum.

II. Par impar.

III. Lusus talorum.

rum pro aciculis. TVL. *Apage, ludamus ego & tu Scipio.* SCIP. *Ego ausim sorti meas aciculas credere.* TVL. *Da mihi talos in manum, ut jaciam primus, en vici sponsionem.* SCIP. *Minimè verò, nam non ludebas seriò.* TVL. *Quis unquam ludit seriò? ceu dicas album nigrum.* SCIP. *Cavillare quantum voles, non auferes modo aciculas.* TVL. *Age, remitto tibi hanc manum ludamus jam pro præmio, adsit dextera sors.* SCIP. *Victus es.* TVL. *Auferto.* LEN. *Cedo talos.* TVL. *In hunc jactum omnia.* LEN. *Non recuso.* PV. *Ad cœnam pueri, nunquámne facturi estis ludendi finem?* TVL. *Nunc incipimus, ista jam de fine loquitur.* COR. *Ludi hujus jam tædet, ludamus calculis discoloribus.* TVL. *Pinge tu nobis urbes in hoc latere carbone, aut gypso.* SCIP. *Ego malo cœnare quàm ludere, & discedo, aciculis meis omnibus exutus fraude vestra.* TVL. *Memineris te heri Cethegum spoliasse. Nullus ubique potest felici ludere dextra.* COR. *Adfer quæso folia lusoria, quæ invenies sub abaco ad sinistram.* SCIP. *Aliàs id quidem, nunc non vacat, nam si diutius morer, timeo ne pædagogus meus iratus incœnem me mittat cubitum. Tu Corneliola, habe nobis parata folia isthæc in crastinum sub horam vesperam.* COR. *Si licebit nobis per matrem, satius est nunc ludere dum sinimur.* SCIP. *Satius est nunc cœnare, dum accersimur.* PVER. *Et mihi*

Calculi discolores.

v. Folia lusoria.

mihi nihil datis, quæ vos ſpectavi? COR. Daremus, ſi judicaſſes. da tu nobis potius, quæ noſtris luſionibus te delectaſti. PV. Heus pueri, quando eſtis venturi? cœna eſt ſemicomeſa, prope eſt, ut ſublatis carnibus apponamus caſeum & poma.

Radium] Radius hîc eſt index, quo pueri elementa indicant, **ein zeiger oder griffel.** Supra in primo dialogo radii pro dentibus pectinis ſumpti ſunt. Eſt & radius ſolis, **ein ſtral oder ſtreim der Sonnen.** Item geometricum inſtrumentum, vulgò baculus Jacobi: & inſtrumentũ textorum: item radius rotarum, **ein ſpeich**: & os brevius brachii apud Celſum: Item lignum teres, quo menſores hoſtire & æquare ſolent menſuras, **ſtreichholtz.** Denique ſpecies olivæ oblongæ.

Nucibus] Primum puerilis luſus genus, eſt Nucibus ludere ad conjectum ſcrobiculi, **nůſz inns grůblein werffen.** Vnde proverb. Nuces relinquere. **Die Narrenſchuch vertretten.**

Putaminibus] Putamen nucum, **nuſzſchalen.** putamen ovi, **eyerſchal.**

Nucleus] Nucleus, **ein Nuſzkern** Hinc proverb. Qui nucleum eſſe vult, nucem frangat neceſſe eſt.

Par, impar] Secundum genus puerilis luſus: cujus etiam meminit poëta, cum ait:

> Ludere par impar, equitare in arundine longa.

Aciculis] Acicula, **ein kluff oder ſteckhefftlein:** Hinc ludere par impar aciculis, **gerad oder vngerad ſpilen vmb ſteckhefftlein oder kluffen.**

Talos] Tertium genus luſus puerilis: quod eſt genus aſtragalorum. Nam aſtragali ſeu cubi dicuntur τὰ ἐστιγμένα ὀστᾶ, id eſt, punctis diſtincta oſſa, quibus utuntur hi ταβλίζοντες: qualia ſunt quæ teſſeræ & tali appellantur: inter quæ hoc apud veteres discrimen fuit, quod teſſera lateribus cõſtabat ſex, talus autem

quatuor : quodq; tesseris inter ludendum utebantur tribus, talis verò quatuor. In tesseris numeri certi descripti erant, ut 1.2.3.4.5.6. in talis autem figuræ numeri vicem habebant. Et secundum quosdam, duorum laterum latiorum eminentius Venus dicebatur, depressius Canis : duorum autem angustiorum, unum Chius, alterum senio seu Cous. Græcè ἑξίτης. Unitatem canis significabat, quod signum infelix erat & damnosum. unde Propertius:

Semper damnosi subsiluëre canes, ein Es.

Senio è contra fuit punctus in talis, Græcis ἑξίτης, ab Aristotele κῷος lib. 2. de cœlo dictus. Is dexter à Persio satyr. 3. appellatur, quia lucrum afferebat, ein seß. Persius:

Quid dexter senio ferret,
Scire erat in votis, damnosa canicula quantum
Raderet.

Ex quatuor autem talis diversas species referentibus, Venus exurgebat, ut Martialis: Cum steterit vultu nullus tibi talus eodem, Munera me dices magna dedisse tibi. Sic Suetonius in Augusto. Talis jactatis ut quisque canem aut senionem miserat, in singulos talos singulos denarios conferebat in medium : quos tollebat universos, qui Venerem jecerat. Vide Cœlium lib. 20. cap. 27. Foquelinum, in 3. satyr. Persii. Erasmum in Astragalismo & in proverb. Non Chius sed Cous : &, Chius ad Coum. Tali autem propriè sunt in hominis pede ossa interiora, quibus malleoli (id est, ossa gibbosa supra parvum pedem utrinque prominentia) inseruntur.

Primatu] id est, quis primus ludere aut ludum auspicari debeat, für den anwurff spilen.

Talitra] Talitrum, ein hirnschnall.

Scopas] Scopæ in plurali, besem. in singulari violæ genus, vel, ut alii volunt, ruscus, mäußdorn.

Sponsio]

Sponsio] gewett oder satz.

In singula puncta] auff ein jedes aug.

Deponam] Deponere wetten. Græcis περιδόσθαι & καταθέσθαι. Virgil. eclog. 3.

De grege non ausim quicquam deponere tecum.

Pedunculos] Pedunculus, qui & pediculus & petiolus, ein stil.

Sorti] Sorti credere, in die schantz schlagen/ wagen.

Manus] Manus ein wurff. Remitto tibi hanc manum, ich laß dir disen wurff nach. Mox vocat jactum. In unum jactum omnia. Es gilt alles auff ein wurff.

Discoloribus] Quartum genus ludi puerilis per calculos discolores: qui duodecim scruporum lusus Quintiliano dicitur: Germanis, der zwölff stein. Sunt enim duodecim scrupi seu calculi, è quibus sex albi, sex nigri. Gallis le jeu aux danies. Pollux lib. 9. sic describit: Ἡ διὰ πολλῶν ψήφων παιδιά, πλινθίον ἐστὶ, χώρας ἐν γραμμαῖς ἔχον διακειμένας. καὶ τὸ μὲν πλινθίον πόλις καλεῖται, τῶν δὲ ψήφων ἑκάστη κύων. διῃρημένων δὲ εἰς δύο τῶν ψήφων κατὰ τὰς χρόας, ἡ τέχνη τῆς παιδιᾶς ἐστὶ, περιλήψει τῶν δύο ψήφων ὁμοχρόων τὴν ἑτερόχρουν ἀναιρεῖν. Cujus hæc est figura seu delineatio.

Vrbes] Regiones ex variis lineis & triangulis quadrati, in sedecim quadrata ex latere quadrisecto divisi: cui inscribuntur duæ diagonii & quadratum, dimidium circumscripti. Alii legebant: orbes: sed urbes rectius est. Nam & Pollux illas cellulas vocat πόλιν.

Latere] Hoc latus lateris, ist ein seyt. At hic later lateris (unde laterculus) ist ein ziegelstein: & sic Pollux πλινθίον vocat.

Nullus] Est intergrum carmen.

Folia] Quintum genus ludi, sed pueris non concedendum.

REFECTIO SCHOLASTICA.

Nepotulus, Piso, Magister, Hypodidascalus.

In hoc dialogo
- Epularũ
  - Partes quinque distribuit
    - Jentaculum.
    - Prandium.
    - Merendam.
    - Cœnam.
    - Comessationem.
    - Vide Grap. lib.2. cap.3.
  - Species varias enumerat.
- Disputationes conviviales, instituit.

Nepotulus diminutivum est à nepos pro potore.
Piso nobilis est adolescens.
Hypodidascalus ὁ ὑπὸ τ͂ διδάσκαλον, provisor, cãtor.
In initio hujus dialogi tres sunt ἀμφιβολίαι seu ambiguitates. Prima est in adverbio lautè, cujus duplex est significatio, una propria, altera impropria & metaphorica.

Vivitisne hîc laute? PIS. Quid istuc verbi est, an lavamur? quotidie manus ac faciem, & quidem crebro, mundicies enim corporis & sanitati & ingenio confert. NEPOT. Non id quæro: sed an edatis & bibatis ex animi vestri sententia? PIS. Nos non edimus ex animi sententia, sed ex palati sententia. NEP. Dico, an ut vultis? PIS. Maximè, nempè cum fame: & qui vult edit, qui non vult abstinet. NE. Surgitis à mensa famelici? PIS. Non omninò saturi: nec expedit. beluarum enim est expleri, non hominum. Regem quendam sapientißimum narrant nunquam sine appetitu accubuisse, nunquam

quam surrexisse saturum. NEP. Quid editis? PIS. Quæ habemus. NEP. Putabam vos esse quæ non habeatis. Sed quæ sunt ista tandem, quæ habetis? PIS. Molestum percontatorem, quæ dantur. NEP. At quæ dantur? PIS. Ientamus de mane, sesquihora posteaquam surreximus. NEP. Quando surgitis? PI. Ferè cum Sole, qui est dux Musarum *& aurora gratissima Musis. Silatum nostrum est, frustum panis autopyri: & paululum butyri, aut fructuum aliquid, quales anni tempus suppeditat. Prandium, olus coctivum, vel pultes in pultariis, aliquid pulmentarii carnium. Rapæ modo, modò brasicæ, amylum, similago, oriza: tum diebus pisculentis lac serosum in gabatis, è quo sit butyrum expressum, injectis aliquot turundis panis, piscis recens aliquis, si sit in foro piscario precii tolerabilis: sin secus, salsamentum probè maceratum, hinc pisa, aut cicera, aut lentes, aut fabæ, aut lupini. NE. Quantum cuique ex his? PIS. Panis quantum avemus, obsoniorum quantum est satis, non ad explendum, sed ad alendum. Amplissimas epulas alibi quærito, non in schola, ubi ad virtutem formantur animi. NEP. Quid bibitis? PIS. Alii frigidam & liquidam, alii cervisiam tenuem, pauci & raro vinum, & benè dilutum. Merenda est, seu (si id mavis) antecœnium, aliquid panis & amygdalarum, seu avellanarum, ficorum aridorum, uvarum passarum:*

I. Jentaculum.

II. Prandium.

Cibus.

Potus.

III. Merenda.

sarum: aut, si sit æstas, pyrorum aut malorum, cerasorum, aut prunorum. cùm vero animi gratia rus proficiscimur, tum edimus lac, vel liquidum vel coactum, caseum recentem, cremorem, lupinos lixivio maceratos, pampinos, & alia, quæ villa suggerit. Cœnæ caput est, acetarium concisum, sale aspersum, irroratum oleo olivarum ex gutto, aceto etiam infuso. NEP. *Quid? oleo nucum, aut raparum?* PI. *Apage rem insuavem, & insalubrem. tum in lata paropside aulicoctia vervecina jurulenta, cum prunis passis aut radiculis, aut herbulis, quæ sint pro intrito. interdum tucetum, saporis scitissimi.* NEP. *Quo condimento?* PI. *Fame omnium optimo & sapidissimo. hinc certis diebus hebdomadis aliquid assi, potissimum vitulinæ, hœdinæ. interdum in vere pro secunda mensa raphani perpusillum, & casei non putris, nec veteris, sed recentis, qui est quàm vetus alibilior: pyra, mala persica, cydonia. Diebus, quìs carne fas non est vesci, habemus pro carnibus ova assa, aut frixa, aut elixa, singula per se, aut in libum commista in sartagine, aceto, aut omphacio, non tam infuso, quàm instillato: paululum interdum piscium, & caseo succedunt nuces.* NEP. *Quantum cuique?* PIS. *Bina ova singulis, & binæ nuces.* NEP. *Quid? à cœna nunquamne comessamini?* PISO. *Sæpius.* NEP. *Quid quæso? nam id est suavissimum.* PI. *Convivium Syri apud Terentium, aut aliquod aliud*

IV. Cœna,

V. Comessatio.

aliud ex illis lautißimis Athenæi, aut ſimilium, quorum meminerunt historiæ. Utrum censes nos porcos eſſe an homines? qui ventriculi, quæ valetudo ſufficeret, poſt quaternas refectiones comeſſari? Heus tu, ſchola hæc eſt, non ſaginarium. Dicunt etiam nihil eſſe perniciosius valetudini, quàm bibere, cum ſtatim ſis iturus cubitum. NEPO. *Licebitne cœnæ veſtræ intereſſe?* PIS. *Facilè, modò venia petita à præceptore: quam ſcio illum daturum non gravate: nam ſolet alioqui: pravæ eſſet educationis, ingerere te convivio magiſtro inſcio: & qui te adduceret, nihil aliud quàm probrum & pudorem contraheret apud condiſcipulos. mane pauliſper. Magiſter, licebitne cum bona tua venia, puerum quendam mihi notum adhibere noſtræ cœnæ?* PR. *Maximè, non erit moleſtus.* PIS. *Habeo gratiam. Hic, quem vides geſtantem mantile pro focali, eſt architriclinus hujus hebdomadæ, nam hebdomarios habemus hîc architriclinos, ut reges.* AR. *Lamia, quota eſt hora?* LA. *Horas non audivi à tertia, intentus compoſitioni epiſtolæ. Florus melius id norit, qui toto hoc pomeridiano tempore librum non vidit, neque chartam.* FLO. *Amicum teſtimonium, & apud* Magi-*ſtrum iratum valdè utile. Sed qui potuiſti tu id animadvertere, immerſus (ut ais) compoſitioni epiſtolari? planè malevolentia te coëgit mentiri. Gaudeo profectò inimicum meum pro men-*

daci haberi. Si quid me posthac voluerit calumniari, carebit fide. AR. *Non potero alicunde cognoscere de hora?* *Anthrax, transcurre ad divi Petri, & inspice horas.* ANT. *Index signat jam sextam.* ARC. *Sextam verò? Eja pueri agite, eja consurgite, abjicite libros: vel quo cervi cornua. parate mensas, insternite, apponite sedilia, mantilia, orbes, quadras, panem, dicto citius volate, ne tarditati nostræ institutor succenseat. Prome tu cervisiam, tu hauri aquam de cisterna, appone scyphos, quid istuc rei est?* Scyphi. *tam obnubilatos adfers? refer in culinam, ut famula eos fricet & extergat probè, quò sint nitidi & fulgentes.* PI. *Nunquam tu hoc perfeceris, quamdiu simiam hanc habebimus ministram culinariam. nunquam audet fortiter confricare quæ mundat, ita timet suis digitis. nec abluit, nisi semel & tepida.* ARC. *Quin admones de eo præceptorem?* PI. *Satius est queri apud famulam atriensem, nam in ejus manu est, mutare famulas culinarias. Sed eccum præceptorem. Tu ipse perluito hos calices, frica folio fici, vel urticis, harena, aqua, ne quid hodie habeat magister jure reprehendendum.* MAG. *Sunt parata omnia? est aliquid, quod nos remoretur?* ARC. *Nihil omninò.* MA. *Ne postea facturi simus intervalla magna inter missus.* AR. *Missus verò? missum potius dixeris & eum exiguum.* MAG. *Quid tu mussitas?* ARC. *Dico ut assideas, esse tem-*

tempus, & propemodum corrumpi cœnam. MA. *Pueri, abluite omnes manus, & os. Vah, quod mantile? qui hic se extergunt, ubi mundantur? curre, adfer aliud purius. Sedeamus more solito. Est is puer conviva noster?* PIS. *Est here.* MA. *Cujas est?* PIS. *Flander.* MA. *Ex qua urbe illius provinciæ?* PI. *Brugis.* MA. *Recipe illum supra te. Expediat quisque cultellum suum, & purget quisque suum panem, si quid hæret vel cineris vel carbonum in crusta. Sacret mensam, cujus est munus hac hebdomade.* FL. *Pasce animos nostros Christe charitate tua, qui benignitate tua alis vitas omnium animantium: sancta sint* DOMINE *hæc tua munera nobis sumentibus, ut tu, qui ea largiris, sanctus es: Amen.* MAG. *Sedete quantum licet laxè, ne comprimatis mutuò: quandoquidem est satis loci. Et tu habes cultellum Brugensis?* PI. *Prodigium. Flander sine cultello: & quidem Brugensis, ubi cuduntur optimi.* NEP. *Mihi verò cultello nihil est opus, dentibus frangam mordendo, vel digitis buccellatim comminuam.* HY. *Ferunt illud de morsibus tum gingivis, tum candori dentium esse perutile.* MA. *Ubi fecisti Latinæ linguæ tyrocinium? nam non videris mihi pravè institutus.* NE. *Brugis, sub Ioanne Theodoro Nervio.* MA. *Viro diligenti, docto, probo. Brugæ elegantissimæ, nisi quod pereunt indies vitio plebis profusissimæ dolendum est: quàm*

Consecratio.

pridie illinc venisti? NE. Nudius sextus. MA. Quam nuper cœpisti studere? NEP. Ab hinc annos tres. MAG. Non potest te profectus pœnitere. NEP. Meritò: nam & habui magistrum non pœnitendum. MAG. Sed quid agit Vives noster? NEP. Dicunt eum agere athletam, non tamen athleticè. MAG. Quid istuc rei est? NEP. Quia luctatur semper, sed parum fortiter. MA. Cum quo? NEPO. Cum suo morbo articulari. MAG. O luctatorem dolosum, qui primum omnium invadit pedes? HYP. Imò lictorem sævum, qui totum corpus constringit! Sed tu quid agis? quid cessas? videris huc spectatum venisse, non cœnatum. Nemo vestrum attingat pileum inter cœnandum, ne quis capillus involet in patinas, cur non tractatis hospitem comiter? HYPO. Nepotule, præbibo tibi. NEP. Præceptor, excipio animo libentiss. HYP. Exinanias calicem tuum, quandoquidem exiguus haustus restat. NEP. Hoc esset mihi novum. MAG. Quid? non exinanire? Sed tu Hypodidascale quid dicis, quid adfers novi super cœna? HYPO. Ego verò nihil dico, sed hisce duabus horis multa cogitavi de arte Grammatica. MAG. Quæ tandem? HYP. Recondita sanè, & ex penetralibus disciplinæ. primum, cur Grammatici posuerunt tria genera in arte, quum sint tantum duo in natura? aut cur natura non producit res neutrius generis, sicut masculini & fœminini? non possum causam exculpe-

Quæstiones Grammaticæ.

1. De generibus.

sculpere tanti mysterii. Deinde philosophi dicunt esse tantùm tria tempora, ars nostra ponit quinque: ergò ars nostra est extra rerum naturam. MA. Imò tu ipse es extra rerum naturam, nam ars in rerum natura est. HYP. Si ego sum extra rerum naturam, quomodo possum comedere hunc panem & has carnes, quæ sunt in rerum natura? MA. Tanto tu deterior, qui venis ab altera rerum natura, ut comedas quæ sunt in hac nostra. HYPOD. παρόφθεγμα ἀπροσδιόνυσον. aliam ego vellem solutionem mearum quæstionum. Utinam haberemus nunc Palæmonem aliquem, aut Varronem, qui has quæstiones posset profligare. MAG. Quin potius Aristotelem, aut Platonem? Habes aliquid aliud? HYP. Heri vidi scelus capitale admitti. Ludimagister vici recti capro olidior, qui in phrontisterio suo in pedore & fœtore docet auditores diobolarios, ter aut quater pronunciavit volucres accentu in penultima. ego verò miratus sum terram illi non dehiscere. MA. Quid aliud decebat talem Ludimagistrum dicere? & est alioqui in formulis Grammaticis valdè detritus. Sed tu in re levi nimium tumultuaris, & facis tragœdiam ex comœdia, seu mimo verius. HYPO. Equidem absolvi pensum meum: nunc tuæ sunt partes, dic tu vicißim aliquid inter cœnam. MAG. Nolo, ne tu mihi vicißim παραφθέγξῃς. Iusculenta hæc jam conglaciant, adfer foculum mensa-

II. De temporibus.

III. De pronunciatione.

mensarium. excalfacite aliquantum priusquam panem intingatis. Raphanus hic non est esui, adeò est lentus, nec minus lentæ sunt radiculæ jusculentæ. HYP. *Lentorem profectò non à macello attulerunt, sed hîc contraxerunt in nostro penore, qua cella nihil est penui incommodius. Nescio quid isthuc rei est, semper adferuntur huc ossa emedullata.* MA. *Parum habent ossa medullarum sub lunam silentem.* HYP. *Quid cùm est plena?* MA. *Plurimum.* HYP. *Tum verò ossa nostra habent minimum, seu nihil verius.* MA. *Non exorbet nobis medullas luna, sed nostra Lamia nimis hic indidit piperis & gingiberis: & in jure hoc, & toto acetario, nimium mentæ, petroselini, salviæ, erucæ, nasturcii, hyssopi. nihil puerorum & adolescentum corporibus æquè damnosum ac cibi, qui interiora fervefaciunt.* AR. *Quibus igitur ex herbis velles confici?* MA. *Lactucis, buglossa hortensi, & portulaca, & petroselini aliquid admiscere.*

Mores in mensa.

Heus tu Gangolfe, ne extergas labra manu aut manica, sed simul ipsa, simul manum mantili: nam ideò tibi datur. Carnes ne attingas, nisi ab ea parte, quam tibi es sumpturus. Tu Dromo, non animadvertis te manicas tuas inficere pingui carnium: reduc eas si sint apertæ ad humeros: si non sunt, corruga, vel complica ad cubitum, quæ, si relabuntur, affige acicula, seu quod magis te decet, spina. Tu Dominaster delicatule

in

in mensam incumbis: ubi id didicisti? in hara quapiam. heus, subjicite ejus cubito pulvillum. Architricline, vide ne analecta hæc pereant, recõde in promptuarium tolle. primum omnium salinum, hinc panem, tunc lances, discos, mantilia, postremò mappam, mundet quisque suum cultellum, & reponat in vaginam. Heus tu Cinciole, ne scalpas dentes scalpello, nam est noxium. conficito tibi dẽtiscalpium pennula, vel bacillo tenui acuminato: & scalpe modicè, ne gingivas scarifices, & sanguinem elicias. Consurgite, & abluite manus priusquam recitetur gratiarum actio. Amove mensam, voca ministram, ut pavimentum hoc scopis verrat. Agamus Christo gratias, præeat verba qui sacravit mensam. FL. *Pro cibo temporali gratias agimus Christe Domine temporarias, fac ut pro immortalitate agamus æternas: Amen.* MAG. *Ite lusum, & confabulatum, & deambulatum, quò libuerit, dum licet per lucem.*

Quomodo mensa tollenda.

Gratiarum actio.

Quid istuc] Prior significatio, à lavando.
Quotidie] subintellige lavamur.
Manus] Ellipsis est præpositionis secundum.
Non id] Altera significatio metaphorica, pro animi sententia. Observa quid sit, lautè vivere.
Nos non edimus] Secunda ambiguitas. Ubi antiquæ formulæ memoria est, qua usitatum fuit ex animi sui sententia jurare: de qua doctissimè disserit Lipsius lib. 1. var. lect. cap. 1.
Dico an ut] Tertia ambiguitas, in velle & non velle.
Regem] Cyrum majorem: Vide Xenophon. lib. 2. ἀπομνημονευμάτων.

Habe-

Habemus] Polyptoton: habemus, habeatis, habetis.
Molestum] Exclamatio, ubi deest vox, ô.
Quæ dantur] Ellipsis est, subaudi edimus.
Jentamus] PRIMA PARS. Jentaculum seu silatum, ἀκράτισμα, ἢ πρωϊνὸν φαγεῖν. Dicitur autem ἀκράτισμα, quia antiquitus jentaculum erat buccea è meraco vino, testante Athenæo. Vide Grap. lib 2. c. 3. & Zuingerum in theatro: ex quo hæc, quæ sequuntur, desumpsimus: quæ & ipsa Athenæi sunt lib. 1. c. 4.

Tempus conviviorum, prandii & cœnæ.

Tempora reficiendi corporis varia sunt, eaque aliis plura, aliis pauciora. Notus est Æschili senarius:

Ἄριστα, δεῖπνα, δόρπα θ᾽ αἱρεῖσθαι τρία.

Quarum vocũ confusio ex vitæ generibus distinguenda est. Unũ enim est quod animi vigore regitur, alterum quod corporis robore perficitur. In eo genere quod potissimum animi vigore regitur, quò parcior cibi usus, eò melior est. Proinde manè vel meridiè, quando quis volebat, cibum solus sumebat, vinum nimirum meracum sive ἄκρατος, cum panis buccella. Unde ἀκρατισμα dicitur: item ἄριστον à præstantissimo vini genere, quod minima quantitate sumtum, plurimum reficeret, ut hodie sumunt vinum sublimatum: gebrañten Wein. Dicitur & γεῦμα, quòd gustarent potius, & pitissarent, quàm comederent. Germanis, Jmbiß/ quasi anbiß/ voce antiquæ frugalitatis indice. Nunc vulgò, frühstück. Vesperi autẽ omnes ejusdem familiæ in unum coibant (hinc cœna Latinis quasi κοινὴ dicta videtur) cibumque sumebant, panem scilicet cum obsonio, quod inde nomen accepit, quia ὀψὲ in cœna tantum, non manè adhiberetur. Græcis δεῖπνον, ὅτι δεῖται ὕπνου, quod somnus ad meliorem concoctionem sequi deberet. Quam ob causam prisci lactucas in secunda mensa apponebant. Atque hæc de primi generis conviviis.

Cæterùm in eo genere, quod potissimum corporis robore

bore cernitur, frequentiore cibi usu opus est: qualis est vita agricolarũ & militum. Agricolarum quamlibet refectionem Hesiodus δεῖπνον vocat: sed diversa ratione. Nam matutinam (Latinis jentaculum) & meridianam (Latinis merendam) δεῖπνον vocat, ὅτι δεῖ πονεῖν, quod post cibum sumtum labori incumbere oporteat. Vespertinam verò etiam δεῖπνον vocat, sed quia δεῖ ὕπνου. Militum vita, ut gloria plena, sic reficiendi temporibus nomina imposuisse videtur. Milites igitur mane summo sumebant ἄριστον, ὡς ἄρεως ἰσχυρόν: & hoc πρωϊνὸν ἔμβρωμα dicitur. Meridie sumebant δεῖπνον μεθ' ὃ δεῖ πονεῖν: & dicitur τὸ μεσημβρινὸν ἔμβρωμα. Vesperi sumebant δόρπον, δόρυ πανόμενον, quoniam receptui canebatur, & hasta militis quiescebat: τὸ δειλινὸν ἔμβρωμα. Suetonius in Vitellio cap. 13. Vitellius Imp. dispertiri solitus est epulas quadrivariam: in jentacula, prandia, cœnas & comessationes, quibus tot viribus epularum sufficiebat frequenti vomitu.

Sesquihora] Anderhalb stund. Sesqui in compositione est idem quòd tantundem & semis, græce ἡμιόλιον. Sic sesquipes, id est, pes & dimidium pedis: sesquicubitus, sesquidigitus, sesquijugerum, sesquipedalia tigna apud Cæsarem lib. 4. de bell. Gall. sesquipedalia verba apud Horatium in arte poëtica. Neq; verò solum cum vocabulis numerorum ac mensurarum, sed etiam temporis & modi & plurimis aliis sesqui componitur. Temporis, ut sesquihora, sesquidies, sesquimensis, sesquiannus. Modi, ut sesquiopera apud Columellam, sesquiopus apud Plautum, sesquiplaga apud Tacitum lib. 15. cum uno ictu non omnino amputasset caput miles, altero dimidiato secuit. Et sesquiopus, si in opus conductus, ut octonos lapides in diem effodias, opus facis: at si duodecim, jam sesquiopus feceris.

Dux Musarum, Græcis ideò dictus μουσηγέτης. Vide Pausaniam.

Auto-

Autopyri] Panis autopyrus ex tota farina confectus sine excretione furfurum, hausbrot. Grapald. lib. 2. cap. 3. Athenæ. lib. 3. Galenus lib. 2. de alimen.

Prandium] SECVNDA PARS. Prandium.

Pultariis] Pultaria lanx, in qua pultes apponuntur, breyschüssel. Grapald. lib. 2. cap. 3.

Pulmentarium] Pulmenta à pulte antiquissima nomina acceperunt. Hinc pulmentaria: Plinius lib. 18. Pulte, non pane, longo tempore vixerunt Romani, unde pulmentaria dicuntur. Horatius lib. 2. satyr. 2.

Tu pulmentaria quære
Sudando.

Hoc est, suda prius quàm pransum aut cœnatum eas. Nam ei qui sudaverit, famemq; labore provocaverit, cibus quantumvis vilis, quovis pulmēto suavior erit: ut Ptolemæo panis in casa quadam datus comitibus eum non consecutis: & aqua etiam impura sitienti dulcissima, ut Dario, qui in fuga cum aquam turbidam, & cadaveribus inquinatam bibisset, negavit se unquam bibisse jucundius. Recte igitur Cyrus (de quo paulo ante) ut Xenophon. lib. 2. ἀπομνημ. ἐπεμέλετο τοῦδε, ὅπως μήποτε ἀνίδρωτοι γενόμενοι ἐπὶ τὸ ἄριστον καὶ τὸ δεῖπνον εἰσίοιεν. Erat autem puls Romanus cibus, ut polenta Græcus. Vide Isidor. lib. 20. cap. 1. Grapald. lib. 2 c. 4. Pulmentarium carnis, ein gröttelten oder pasteten/ id est, caro minutim instar pultis concisa.

Brassicæ] Brassica, κράμβη, köl. proverb. Crambe bis posita mors est. δὶς κράμβη ἢ κράμβη διςεφθος θάνατος.

Amylum] Amylum ab α, id est, sine, & μύλη mola, Gallis amydon. Germanis amelmelk. Conficitur ex tritico, sine molis, in aqua per aliquot dies macerato & lacte expresso, quod flagranti sole exiccatur. Eo mulieres ad linteorum & velorum dealbationem utuntur. Vide Dioscorid. lib. 2. cap. 1. 2. 3. Grapald. lib. 2. cap. 4. Meminit & Athenæus.

Simi-

Similago] Similago & simila, media inter farinam & pollinem pars, zart semelmehl. Hîc sumitur pro pulte ex similagine, ein weiß muß.

Pisculentis] Quibus abstinetur à carne, fasttag / fischtag.

Serosum] molcken / rhürmilch.

Gabatis] profundis vasis, Gabatæ enim sunt lances escariæ, seu scutellæ profundæ, seu vasa concava eduliis pulmentariisque aptissima, tieffe schüssel / ein schwäbischer napff. Martialis lib. 7.

Transcurrunt gabatæ, volantq; lances: & lib. 9.
Sic implet gabatas paropsidesque.

Vide Grapald. lib. 2. cap. 2.

Turundis] frustis, bucceis, bissen. Plinius eo nomine, vocat bucceas, quibus farcire saginareque gallinas, anseres & capones solemus. Grapald. lib. 1. cap. 9.

Salsamentum] Salsamenta sunt pisces muria (saltzwasser) durati: unde salsamentarii vendentes salsamenta, quorum aqua muria dicitur. Vide prover. Nares cubito emungere.

Maceratum] ablutum, gewässert. Macerare est mollia reddere, irrigare & salsuginem detergere. Utitur Terentius. Plinius: Ova aceto macerata, in tantum emolliuntur, ut per annulos transeant.

Pisa] Enumeratio leguminum: Germani uno nomine gemüß vocant. Latinis à legendo legumen, quod vellendo legatur, non secetur. Varro lib. 1. de re rustica, cap. 23.

Cicera] Terræ fructum significantia inter neutra sunt sine plurali. Cicera igitur hic fœminini generis species est ciceris, hominibus nō inutilis neq; injucunda sapore, à cicercula (inæquales angulos instar pisi habente) colore tantū differens. Nam & obsoletior est & nigro propior, ut tradit Columella lib. 2. A ciceris satione (si Plinio credimus) Cicerones dicti sunt, ut à lente Lentuli, à faba Fabii, à Pisone Piso-

nes, Erkßler / Bönler oder Boner / Linßler. Grap. lib.2.cap.11. Sigon.de nominibus Rom.
Lentes] Plinius: Constat æquanimitatem fieri vescentibus lente. Lendes sunt capitis animalia, niß. Grap. lib.2.cap.11.
Fabæ] Vide proverb. A fabis abstineto. κυάμων ἀπέχεσθαι.
Lupini] Feigbonen/Wickbonen. Vide proverb. Quid distent æra lupinis, & Grapald. lib.2.cap.11.
Obsoniorum] Obsonium omnis cibus præter panem, Was man zum Brodt isset.
Frigidam] subaudi aquam. Cervisia etiam Zythum dicitur, quod ex tritico vel hordeo vel pane cōficitur. l. si quis vinum. 8 De tritico, vino, vel oleo legato.
Merenda] TERTIA PARS, Merenda.
Ficorum] Malim ficuum aridarum pro fructu: juxta illud Martialis:

Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci,
Dicemus ficos Æmiliane tuos.

Cremorem] lactis. florem lactis, pingue lactis: milchraum.
Lixivio] Lixivium, laugen. Materiæ ustæ in pulverem rediguntur, qui Lix vocatur. Plinius lib. 36. Sunt qui culmos fabæ exurant, & ex eo, quod cremaverint, cinere, lixivium faciunt. Columel. lib. 13. rei rustic. Vide Grapald. lib.2.cap.4.
Villa] quasi vehilla: quia fructus ex agris in eam convehuntur. Pontanus.
Cœnæ] QVARTA PARS, Cœna. Cœnæ autem caput per metaphoram sumit pro initio: quanquā Lipsius lib. 3. antiq. lectio. caput cœnæ non pro initio cœnæ, sed pro præcipuo ferculo sumit. Sic Martial.

Mullus tibi quatuor emptus
Librarum, cœnæ pompa caputque fuit.

Et Cicero 5. Tuscul. Negavit se jure illo nigro, quod cœnæ caput erat, delectatum. Gemina ratione Græci κεφαλὴν δείπνου appellant.

Paro-

Paropside] schüssel. Sueton. in Galba: Ordinato dispensatori breviarium rationum offerenti, paropsidem leguminis pro sedulitate ac diligentia porrexit.

Aulicoctia] Aulicoctia antiqui exta dicebant, quæ in ollis coquerentur, id est, elixa. Grapal. lib. 2. cap. 4.

Jurulenta] cum ipso jure, mit der brü. Alia exemplaria habent jussulenta. sed jurulentum analogiæ propius est, à jure: nisi à jusculo jusculentum deducere malis: quod & ipsum elegans est. Cornelius Cellus jurulentum usurpat. Apuleius verò jussulentum. Vide Grapald. lib. 2. cap. 3.

Pro intrito] für ein eingebrockts. qualis solet amoracia pro intrito esse, meerrettig oder kreen.

Tucetum] Tucetum est caro minutim concisa & ita elixa. Persius saty. 2. Tucetaq, crassa, ein gröttelten.

Fame] proverb. Fames optimum condimentum.

Secunda] Cœnam antiqui in tres partes tribuerũt, sive placet dicere Missus. Primum missum, Antecœnam sive gustationem, sive gustum dixerunt: secundum, in quo præcipui & lautissimi cibi, propriè cœnam: tertium, in quo bellaria, mensam pomorum, sive mensas secundas. Lipsius lib. 3. antiq. lect. in mensis secundis etiam tragemata apponi solent, allerley confect. Interpres Aristophanis in Pluto: ἐὰν μετὰ τὴν εὐωχίαν τῇ τραπέζῃ τιθέμενα, καλοῦσι τραγήματα. ὅθεν καὶ παροιμία, ἐκ τραγημάτων τὴν εὐωχίαν. λέγεται δὲ ἡ παροιμία ἐπὶ τῶν ἀπὸ τῶν ἡττόνων τὸ μεῖζον θαυμαζόντων.

Diebus] id est, pisculentis, an Fischtagen.

Omphacio] Omphacium succus ex uvis immaturis, quæ Græcè ὄμφακες. ὄμφαξ immatura uva. Agrest. Grapald. lib. 1. cap. 3. Dioscor. lib. 5. cap. 7. Hesiod. in Asp.

ὅτ' ὄμφακες αἰόλλονται.

Comessamini] QVINTA PARS, Comessatio, ἐπιδόρπιος, ein schlafftrunck. Comessatio dicitur à κώμῳ. Est autem κῶμος Deus conviviorum. apud Philostr. imagine

 gine

gine 3. Eustathius videtur ex κῶμα, id est, somno deducere, cum dicit κῶμον esse δὲ ὃ καταφέρεταί τις εἰς κῶμα.

Terentium] In Adelphis act. 5. scen. 1. & 2.

Athenæi] Athenæus libros 15. scripsit dipnosophistarum, id est, argute sciteq; in convivio disserentium: qui adhuc extant Græci, multa & recondita eruditione referti, ex quibus Vives noster multa rerum nomina mutuatus est.

Saginarium] Locus ubi aluntur altilia: dictum à sagina. Grapald. lib. 1. c. 9. M. Varro in lib. de re rustica ait pullos anserinos includi saginario.

Dicunt] Præceptū ad valetudinis conservationē utile.

Focali] Focale Quintiliano & Senecæ est linteum, quo valetudinarii cervicem aut collum circumdant, adversus aëris & frigoris injuriā, halßgoller oder tuch.

Architriclinus] Dapifer, Truchseß. Triclinium (Latinis cœnatio, cœnaculumq́;) locus dicebatur, in quo tribus thoris mensisve stratis cibum sumebant veteres. De quo Vitruvius lib. 6. Inde architriclinus, qui convivio præest. Grapald. lib. 2. cap. 3.

Cornua] Pro: Ubi cervi cornua abjiciunt: ὅπου αἱ ἔλαφοι τὰ κέρατα ἀποβάλλουσι. Nam cervi cornua deposituri secedunt in loca aspera atq; inaccessa. Vide Plinium lib. 8. cap. 32. Aristot. lib. 9. de nat. animal. Et wo es also behalten daß es niemand mehr findē kan.

Tepida] scilicet aqua: est eadem ellipsis quæ supra, frigida, scilicet aqua.

Atriensem] Atrienses erant olim in familia præcipui, qui in atrio signa, tabulas, imagines & preciosam gazam custodiebant. Hic igitur famula atriensis est, quam nos vocamus ein beschliesserin. Vide Grapald. lib. 1. cap. 1. Talæum in 5. Paradox. Ciceronis. Revard. lib. 5. Vario. cap. 20.

Manu] potestate. Non est in mea manu, es stehet nicht in meinem gewalt.

Missus]

Missus] Missus, græcè φέρτρον, ferculum, ein Richt oder Tracht.

Recipe] Recipe supra te, setze jn über dich. Recipere aliquem ad se, einen zu sich setzen.

Laxe] Contrarium est anguste sedere, eng sitzen.

Ferunt] est ironia.

Tyrocinium] Allegoria sumta à militibus, id est, ubi posuisti prima fundamenta linguæ Latinæ?

Nudius sextus] quasi nunc dies sextus, vor sechs tagen.

Merito] Argumentum est è relatis. Discipuli profectus non pœnitendus, quia magister non pœnitendus.

Athletam] Allegoria ab athletis. Agere athletam, kempffen/ringen.

Morbo articulari] mit dem Zipperlin. Græcis arthritis: Cicero vocat dolores articulorum. Vives autem laboravit podagra, ut in epistola quadam ad Pratensem scribit: Me podagra mea gravissimè divexat, serpsit ad genua, ad manus, ad brachia, usque ad humeros: aliquando erit finis carceris hujusce adeò miserabilis. Utinam, quandocunque erit, cum bona sit CHRISTI gratia.

O luctatorem] Exclamatio & paronomasia in nominibus luctator & lictor. Lictores aůt apparitores magistratuum, dicti à ligando: eorū munus erat populum summovere, sontes virgis cædere & securi ferire. Sigon. lib. 2. de antiq. jur. civil. Rom. cap. 15.

Ego verò] Sequuntur quæstiones aliquot Grammaticæ. Nam convivium non debet esse ἄφθογγον.

Penetralia] Proprie interior pars domus: hic metaphora est, pro abstrusis & absconditis rebus.

Primum] Prima quæstio de generibus nominum.

Deinde] Secunda quæstio de temporibus. Estq; syllogismus integer: Natura tria tempora habet: At ars habet quinque. Ars igitur est extra rerum naturam.

Tria] Præsens, præteritum, futurum. Vide Aristot. in physicis.

Ars noſtra] Grammatica. Ponit enim tria præterita; infectum, perfectum, plusquampræteritum.

Παράφθεγμα] id eſt, reſponſum alienum à propoſito, à παραφθέγγομαι. perperam loquor, imperitè reſpondeo, & præter rem. Ἀπροσδιόνυσα etiam ſunt abſurda. Vide proverb. οὐδὲν πρὸς Διόνυσον : Nihil ad Bacchum : ubi quis ea nugatur, quæ ad rem præſentem nihil attinent.

Palæmonem] Synechdoche eſt proverbialis, pro aliquo judice cõcertationis. Eſt enim Palæmon judex apud Virgil. in 7. Ecloga. Fuit autem etiam Grammaticus hoc nomine, de quo vide Volaterr. li. 8. Anthropol. in initio, & Tranquillum de claris Grammat. De M. Varrone Romanorum doctiſſimo, vide eundem Volaterr. lib. 10. & Cicero. 1. Academ.

Heri] Tertia quæſtio de pronunciatione ſeu proſodia.

Phrontiſterio] ſchola, à φροντίζω, curo, meditor. Ariſtophanes utitur in Nebulis.

Diobolarios] Pro vilibus & nullius precii. Vide proverb. Diobolares, id eſt, minimi precii.

Dehiſcere] proverb. Terra mihi prius dehiſcat : ὅτε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών. Homerus Iliad. δ. ich wolte ehe daß mich das erdrich verſchlückt.

Tragœdiam] Proverb. Tragœdias in nugis agere, id eſt, in re levicula tumultum movere. Quomodo differat. Tragœdia a Comœdia, vide noſtram artem poëticam Horatii.

Seu mimo] Correctio eſt. Mimus autem dramatici carminis genus eſt, multo minus Comœdia. Dicuntur autem mimi & ipſi qui mimos ſcribunt & hiſtriones qui pronunciant, ἀπὸ τοῦ μιμεῖσθαι, ab imitando.

Penſum] proverb. Penſum perſolvere eſt ſuas partes implere, & debito perfungi officio. Translatum à lanificio muliebri, in quo ſingulis certum lanæ pondus in opus diurnum diſtribuebatur.

Παραφθέγξῃς] id eſt, præter rem reſpondeas.

Congla-

Conglaciant] gestehen.

Foculum] id est, calfactorium, mensæ aptum, ein Glutpfann.

Penore] id est, cella, ubi esculenta & poculenta reponuntur.

Penui] id est, esculentis & poculentis.

Silentem] Luna silens est novilunium, cum luna latet in conjunctione Solis, der Neumond.

Plena] Luna plena est in plenilunio, cum Soli opposita est: ein Durchschein oder Vollmond.

Lamia] Lamiam fabulantur mulierem fuisse cæcam, quæ oculos domi recõditos in scrinio habuerit, quos reponeret foras egressura: atq; ita domi cæcutiens, foris erat oculatissima Plutarchus in libello περὶ πολυπραγμοσύνης, id est, de curiositate: ἐν τῷ μύθῳ τὴν λάμιαν λέγουσιν οἴκοι μὲν ἄδειν, τυφλὴν, ἐν ἀγγείῳ τινὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἔχουσαν ἀποκειμένους, ἔξω δὲ προϊοῦσαν ἀποτίθεσθαι καὶ βλέπειν. Vide proverb. Ædibus in nostris quæ recta aut prava gerantur: & Politianum in Lamia.

Erucæ] Erucæ herbæ vis inest calida, ideoque frigora contemnit, & lactucæ miscetur in cibis, ut illius frigiditatẽ temperet, weisser senff / senffblätter. In condiendis obsoniis tanta ejus est suavitas, ut Græci εὔζωμον appellaverint, ut scribit Plin. lib. 20. Ejusdem ferè saporis est Nasturcium, kreß / dictum à narium tormento, quod sua acredine animũ ita exacuit, ut torpentem & somniculosum proverbio jubeamus nasturcium edere, id est, se excitare. Erucæ autem etiam animalia sunt, herbis noxia, à græcis κάμπαι, ut Columella lib. 13. Adversus illas ex equæ capite ossa palo imponuntur, & cancer fluviatilis in medio horto suspensus auxiliatur. Grapald. lib. 1. cap. 5.

Lactucis] Lactucæ à lacte, auctorib. Plinio & Varrone, nominatæ, naturam habent refrigeratricem: & ideo per æstatem gratæ, stomacho fastidium auferunt, cibi appetentiam faciunt, & somnum conciliant, ut ex

Galeno scribit Avicenna. Martialis:

Claudere quæ cœnas lactuca solebat avorum,
Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes?

Olim autem, ut ebrietati obluctaretur, eamque prohiberet, in cœnæ fine sumpta est: pòst verò ad conciliandam ὄρεξιν, in cœnæ principio sumi cepta est.

Buglossa] Buglossa sylvestris est & sativa seu hortensis, quæ & borago & corrago, quòd cordis affectibus in cibo sumpta opituletur, borretsch. In vinum conjecta animi voluptatem auget: hinc εὐφρόσυνον græci dixere, quasi lætificantem.

Portulaca] Quòd portulas foliorum similitudine imitetur, Burthel.

Heus tu] Hæc pars ad mores in mensa servandos pertinet.

Manica] Ermel. Virgil.

Et tunicæ manicas & habent redimicula vittæ.

Nam ideò] Argumentum à fine.

Dromo] du fauler Esel. Dromo nomen servi apud Terentium, sed ignavi, cui ideò per ironiam nomen currentis impositum est.

Dominaster] hertzlin. De nominibus in aster, vide Vallam lib. 1. elegant. cap. 7.

Analecta] Analecta sunt reliquiæ ciborum, à colligendo dictæ.

Promptuarium] Speißkammer oder Gaden.

Tolle] Hæc pars docet, quo ordine mensa tollenda.

Lances] Paropsides, schüsseln.

Discos] orbes, teller.

Scalpello] cultello.

Scarifices] Scarificare cutim aut carnem radere, schrepffen.

Præeat] Præire verba dicit, quod Cicero & Plautus verbis & voce præire, vorsprechen. Livius lib. 8. decad. 1. Agedum pontifex præi verba, quibus me pro legionibus devoveam.

Senten-

Sententiæ.

Mundities corporis & sanitati & ingenio confert.

Non expedit nimium saturum fieri: belluarumque est expleri, non hominum.

Cyrus major nunquam sine appetitu accubuit, nunquam satur surrexit.

Sol est dux Musarum, μουσηγέτης: & aurora gratissima Musis.

Nihil ajunt perniciosius esse valetudini, quàm bibere cum sis iturus cubitum.

Nihil puerorum & adolescentum corporibus æquè damnosum est, ac cibi qui interiora fervefaciunt.

GARRIENTES.

Nugo, Gracculus, Turdus, Bambalio.

In hoc Dialogo novendecim narratiunculas proponit Vives, ætati puerili aptas, & quasi prima eloquentiæ progymnasmata. Nomina etiam confabulantium decore ficta sunt. Nugo à nugis dicitur, quasi nugivendulus. Gracculus & Turdus nomina ficta sunt à loquacitate illarum avium. Vide proverbia, Graculus graculo assidet: & Surdior turdo. Bambalio est homo nihili & impeditæ linguæ, ut Cicero interpretatur Philip. 3. Vide proverb. Bombylius homo.

1. Narratio de trunco.

NVGO. *Assideamus in hac trabe: tu Graccule, è conspectu in saxo illo, modo ne impedimento sis, quò minus cernamus prætereuntes, apricemur nos ad hunc parietem, egregiè soli ostentum. Quàm grandis truncus, & cui usui?* TVR. *Ut nos hic sedeamus.* NVG. *Oportet fuisse procerissimam & latam arborem, unde est sum-*

tus. TURD. Quales sunt in India. GRA. Qui scis? fuisti tu in India cum Hispanis? TVR. Quasi scire aliquid de regione quapiam non poßis, nisi in ea fueris, sed dabo tibi autorem meum. Plinius scribit, in India crescere ad eam altitudinem, quæ non poßint jaculo superari: & gens illa quidem sumptis non tarda pharetris, ut ait Verg. NVG. Scribit etiam Plinius, Turmam equitum condi sub ramis. TV. Nemo id miretur, qui scirpos illius regionis consideret, quibus infirmi fulciunt gradum, divites duntaxat. GRA. Heus quota est hora? NVG. Nulla, nam horarum tintinnabulum nunc funditur. adfuisti? GRA. Non sum ausus, nam aiunt rem esse periculosam. NVG. Ego interfui, & vidi innumeras mulieres prægnantes transilire canalem fusionis, qui est sub terram conditus. TV. Audivi hoc illis esse salutare. GRA. Ea est colus Philosophia, ut dicunt. sed de hora quærebam. NVG. Quid tibi opus est hora? si quid vis agere, dum est oportunitas, est hora. Sed ubi est horologium tuum viatorium? GRA. Excidit mihi nuper, cùm fugerem canem holitoris post decerpta pruna. TVR. Ego te currentem vidi de fenestra: sed quò te recepisses, spectare non potui, quia impedimento mihi erat hortus pensilis, quem ibi mater adfixit patre invito, & multum reclamante: mater verò in proposito constans obtinuit, ne tolleretur. NVG. Quid tu? tacebas? TV.

II. De Tintinnabulo.

III. De horologio.

Flebam

Flebam tacitus, quid enim aliud agerem, dissentientibus mihi charissimis capitibus? tametsi mater jubebat me ab se stare, & clamare strenue: sed mihi non erat cordi, quicquam adversus patrem mutire. Ergo missus sum ad scholam, quatuor continuis diebus injentatus à matre irata, & dejerante me non esse ex se natum, sed commutatum à nutrice, de quo ait dicturam se nutrici diem apud Prætorem capitalem. NVG. *Quid rei est Prætor capitalis? an non Prætor omnis habet caput?* NVG. *Quid ego scio? sic illa dixit.* GRAC. *Hem, qui sunt isti penulati & ocreati?* NVG. *Galli sunt.* GRAC *Quid, est ne pax?* TVR. *Bellum narrabant futurum, & quidem atrox.* GRAC. *Quid adferunt?* TVRD. *Vinum.* NVG *Exhilarabunt multos.* GRAC. *Scilicet, non solum vinum exhilarat, sed vini mentio & recordatio.* NV. *Vinosos utique: mea nihil refert, qui aquam bibo.* GRAC *Nunquam facies bonum carmen.* TVR. *Nosti illam mulierem?* GR. *Non, quænam est?* TV. *Aures habet gossipio obturatas.* GRA. *Quid ita?* TV. *Ne quid audiat, quia male audit.* NVG. *Quàm multa pessimè audiunt auribus patentibus, & benè perforatis.* TV. *Credo huc pertinere, quod est apud Ciceronem in Tusculanis quæstionibus: Surdaster erat M. Crassus: sed illud pejus, quòd malè audiebat.* NVG. *Non dubium est quin hoc ad infamiam sit referendum. Sed heus tu Bambalio,*

IV. De Gallis.

V. De muliere surda.

VI. De libro amisso.

lio, invenisti tuas Tusculanas quæstiones? BA. Etiam, apud propolam: adeò interpolatas, ut non agnoscerem. NV. Quis surripuerat? BA. Vatinius, quod illi male sit. GR. Vah hominem manibus aduncis & picatißimis: ne admittas eas unquam ad tuas capsas, nec ad scrinia, si vis omnia esse salva. Nescis illum crumenisecam existimari ab hominibus, & de crumenisecio accusatum apud gymnasiarcham? NV. Soror puellæ illius enixa est heri gemellos. GRA. Quid mirum? Mulier quædam via salaria ad leonem galeatum, peperit nudius sextus tergeminos. NV. Plinius dicit, ad septimum posse procedi. TV. Quis vestrûm audivit de uxore Comitis Bataviæ? quam ferunt uno partu tot edidisse, quot sunt in anno dies, ex imprecatione mendicæ cujusdam. GR. Quid istuc fuit de mendica? TVR. Mendica hæc liberis onusta petiit ab hac Comite stipem: illa ubi conspexit tot pueros, convitio illam abegit, scortum vocitans, negabat enim posse fieri, ut ex uno viro tantam sobolem suscepisset. Innocens mendica precata est divos, ut si se castam & puram scirent, darent Comiti ex marito suo tot fœtus uno conceptu, quot sunt in anno dies, & ita contigit: ostenditúrque propago numerosa illa in oppido quodam illius insulæ. GR. Malo credere, quàm exquirere. NV. Omnia sunt DEO poßibilia. GR. Imò verò facillima. NV. Non nosti illum onustum retibus, comita-

VII. De gemellis.

mitatum canibus, cum causia & peronibus, vehentem canterio strigosissimo? TVR. Estne Mannius versificator? NV. Est planè. TVR. Quænam tanta metamorphosis? NV. Ex Minerva transiit ad Dianam: id est, ab honestissima occupatione ad inanem & stultum laborem. Pater ejus mercimoniis faciundis auxerat rem. hic paternam artem dedecori sibi esse ducit, vertit se ad alendos equos, & venationem, non aliter ratus posse nobilitatem generis venari. Nam si quid ageret utile, non haberetur pro nobili. Sequitur eum venantem talis Curius, pereruditus homo, aleator famosissimus, & qui probe novit taxillos mittere compositos: domi habet sodalem Tricongium. TV. Imò amphoram. GR. Imò spongiam. NV. Imò harenam Africæ aridissimam. BAM. Ajunt illum semper sitire. NV. An sitiat nescio, semper certè paratus est potare. BAM. Ausculta lusciniolam illam. GR. Ubinam est? BAM. Non vides eam in ramo illo sedentem? vide, ut canit ardenter, nec intermittit. NV. Flet Philomela nefas. GR. Quid mirum dulciter eam garrire, quæ sit Attica, ubi etiam fluctus maris non sine numero alliduntur littori? NVG. Plinius scribit, eam præsentibus hominibus diutius & accuratius cantare. TV. Quid causæ est? NV. Ego tibi causam aperiam. Cuculus & Philomela eodem cantant tempore, verno scilicet, ab Aprili medio ad Majum exactum,

VIII. De Mannio venante.

IX. De Curio aleatore & ejus socio bibone.

X. De Lucinia & cuculo.

actum, aut eo circiter Hæ duæ aves in contentionem venerunt de ſuavitate concentus, quæſitus eſt Iudex: & quia de ſono erat certamen, aptiſſimus viſus eſt ad eam cognitionem aſinus, qui præter cæteras animantes grandes haberet auriculas. Aſinus repudiata luſcinia, cujus ſe harmoniam negaret intelligere, victoriam cuculo adjudicavit. Philomela ad hominem appellavit, quem ubi videt, agit ſtatim cauſam ſuam, canit diligenter, ut ſe illi approbet ad vindicandam injuriam, ab aſino acceptam. GRA. *Habeo cauſam poëta dignam.* NV. *Quid ergo, expectabas philoſopho dignam? poſce id à novis illis magiſtris Pariſienſibus.* GR. *Plerique illorum veſtibus ſunt philoſophi, non cerebro.* NV. *Quid ita veſtibus? nam coquos potius dixeris, aut muliones.* GRAC. *Quia geſtant eas craſſas, detritas, laceras, lutulentas, immundas, pediculoſas.* NV. *Erunt ergo philoſophi Cynici.* GRAC *Imò cimici: non, quod videri adfectant, Peripatetici: quippe Ariſtoteles, ſectæ princeps, cultiſſimus fuit. Ego verò longum valedico jam nunc philoſophiæ, ſi aliter non poſſum eſſe Philoſophus. Quid enim pulchrius, & homine dignius, quàm mundicies, & civilis quidam cultus in victu & veſtitu. ea in re anteſtant mea ſententia Lovanienſes Pariſienſibus.* TVRD. *Quid tu, non putas eſſe impedimento ſtudiis nimiam curam mundiciæ atque elegantiarum?* GRA. *Ego quidem*

XI. De magiſtris noſtris.

mundi-

mundiciem probo, anxiam & morosam illius curam improbo. NVG. Damnas tu elegantias? de quibus scripsit Valla tam diffuse, quasque adeò diligenter commendant nobis nostri præceptores? Alia est verborum in loquendo elegantia, alia rerum in vestiendo. TVRD. Scitis quid est mihi narratum à tabellario Lovaniensi? NVG. Quid tandem? TVR. Clodium ardere perditè in puellam quandam, & Lusconem transtulisse se ad mercaturam à literis: hoc est, ab equis ad asinos. NV. Quid audio? TV. Clodium noratis omnes succiplenum, rubicundum, bene habitum, hilarem, vultu renidenti, comem, festivum confabulatorem? nunc refert ille esse exuccum, exanguem, pallido colore atque adeò lurido, imbecillum, horridum, trucem, taciturnum, fugitantem lucis & humani consortii: nemo qui illum vidisset prius, jam agnosceret. NV. O miserum adolescentem: unde id mali? TVR. Ex amore. NV. At unde amor? TVR. Quantum ex oratione tabellarii potui colligere, reliquerat seria & solida studia, dediderat sese cunctum poëtis lascivis, Latinis, & linguæ vulgaris: inde prima animi præparatio: ut si qua ignis scintilla in illum incideret fomitem, quantumlibet exigua, subito inflammaretur velut stuppa, tradiderat se somno & ocio. NVG. Quid necesse habes plures aut majores causas amandi commemorare? TVR. Nunc insanit, ambulat plerun-

XII. De Clodio amatore.

plerumque ſolus: ſemper autem vel tacitus, vel cantillans aliquid, & modulans, ſcribit verſus ſermone vernaculo. Nv. *Scilicet quos legat ipſa Lycoris.* GRA. *O Chriſte averte ab animis noſtris tam perniciosum morbum.* Tv. *Niſi me ingenium Clodii fallit, recipiet ſe aliquando ille ad frugem meliorem, peregrinatur animus ejus in nequitia, non habitat.* GR. *Et ille alter quas mercaturas exercet?* TVR. *Miſit ad patrem epiſtolam, flebiliter conſcriptam de miſera conditione ſtudiorum, quam, quòd eſſet apertilis, legit ipſe tabellarius. Pater homo craſſæ Minervæ, transdidit eum à chartis ad lanas, pannos, glaſtum, piper, gingiber, cinnamomum. Nunc ille ſuccinctus braca, mire diligens & ſedulus in aromataria taberna vocat adventores, excipit blandus, ſcandit, deſcendit per ſcalas infeſtiſſimas, profert ſuas merces, vertit, invertit: mentitur, pejerat: omnia ſunt illi leviora quàm ſtudere.* NVG. *A puero novi illum attentum ad rem, & delectari nummulis. Itaque potiorem habuit nummationem quàm literaturam, & vile lucrum antepoſuit excellentiæ eruditionis: aliquando pœnitebit eum.* TVR. *Sed ſerò.* Nv. *Indubiè: provideat ne accidat ſibi, quod ſuo conſobrino.* TVR. *Cui?* Nv. *Antonio in angiportu pomorum, ad tres graculos. Non audiſti illum superiore anno decoxiſſe?* GRAC. *Quid decoxit quæſo, eſt ne hoc tantum malum? an non quotidie*

XIII. De Luſcone Mercatore.

XIV. De Antonio decoctore.

vidit id fit in culinis omnibus? TVR. Decoxit rem. GRA. Quam rem? TVR. Alienam, & conturbavit. GRAC. Nihilne reddidit creditoribus? TVR. Ex compactione (nam receperat se in asylum) uncias ternas ex libris singulis. GRAC. Hoc vocas tu decoquere, cum nihil sit crudius? sed quo modo amisit? TVR. Audivi equidem nuper de patre, non satis tamen intellexi, narrabat pater eum fecisse versuras damnosissimas, quæ degluberunt eum, & devorarunt usque ad ossa. GRAC. Quid rei est versura? quid deglubere? TVR. Ne ego quidem novi: credo esse aliquid de furibus. NVG. Vides illum obesum? quem putes vix se posse commovere, petaurista est, & funambulus. GRAC. Ah, tace, rem narras incredibilem. TVR. Non ipse quidem suo corpore, sed calcibus. GRA. Adferebat aliquid aliud novi tabellarius de nostris sodalibus. TVR. Etiam, de Hermogene, qui in omni nostro certamine semper ferebat primas, is admirabili mutatione ex ingeniosissimo, & (ut ætas illius ferebat) doctissimo, repente factus est tardissimus, & rudissimus. NVG. Tale quiddam sæpè vidi accidere in quibusdam acutulis. BAM. Ajunt id fieri, cum ingenii acumen non est solidum: ut in scalpellis, quorum acies facilè retunditur, præsertim si quid secent paulò durius. GRAC Quid? Est ne acies in ingenio, sicut in ferro? BAM. Nescio, ferrum sæpè vidi, inge-

XV. De petaurista.

XVI. De Hermogene.

XVII. De adolescente pagano.

nium nunquam vidi. NVG. *Quid factum est adolescentulo illi pagano, qui superiore mense exhibuit nobis prandium adventorium, refertum deliciis rusticis, ad quem è fuga retrahendum præceptor miserat quatuor fugitivarios: & erat formosulus.* TVR. *Venustus asinus. Puella amanuensis amitæ meæ, quæ puella est illi soror patruelis, convenit illum nuper in pago suo, nudo capite, impexum, horridum, sentum, cum gallicis, & tunica villosa levidensa, vendentem in trivio quodam chartaceas imagines, & tabellas elementarias, cantantem cantiones novas in circulis.* GRAC. *Oportet illum esse ortum claro sanguine.* TVR. *Quî isthuc?* GRAC. *Quoniam pater eius est de genere Coclitum.* NVG. *Non tam id arguit nobilem virum, quàm bonum jaculatorem: collimabit facilè.* TVR. *Aut fabrum tignarium, qui oculo rubricam dirigit uno.* NV. *Nunquam placuit mihi ille puer. nec dederat mihi significationem aliquam virtutis.* GRAC. *Quid ita?* NVG. *Quia nec amabat studia, nec præceptorem reverebatur, quod est perditi animi argumentum evidentissimum: & senes irridebat, & calamitosos subsannabat.*

XIIX. De Torquato.

Sed quis est iste sericatus, torquatus, bracteatus auro? GRAC. *Ex genere clarissimo, matrem habet nobilissimam & fœcundissimam.* NVG. *Quam?* GRAC. *Terram, & vix credas, quas semper faciat delicias: dicas puerulum in cunis*

adhuc & crepundiis vagientem. NVG. *Atqui lanugo illi incipit jam per malas serpere.* BAM. *Hem, observator venit, expedite libros, explicate, incipite evolvere.* GRAC. *Nec fuit his multis hebdomadibus observator magis curiosus, & qui tam gauderet deferendis ad magistrum criminibus.* BAMB. *Utinam saltem nos veræ culpæ reos ageret, sed calumniatur plerunque.* NVG. *Hic murus aheneus esto: Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa. Sed quiescite, ego illum statim fugabo.* OBSERV. *Quid tu dicis Vacia?* NVG. *Quid tu Vatrax?* OBSERV. *Quid tu Vatrachomyomachia? sed joco amoto, quid hic agitur?* NVG. *Quid ageretur? quod inter bonos scholasticos & studiosos: legitur, ediscitur, disputatur. Dic sodes capitulum lepidißimum, quid est apud Verg. Transversa tuentibus hirquis?* OBSERV. *Benè facitis, pergite studere, ut bonæ indolis adolescentes decet, mihi aliud nunc est negotii: vos valebitis.* NVG. *Satis nugatum est, revertamur ad ludum, sed prius relegamus, quæ præceptor explicavit, tum ut discamus, tum ut illi placeamus, & nos approbemus: quod cuique nostrûm debet esse in votis, non minus quàm patri.*

XIX. De observatore.

Quam grandis] PRIMA Narratio de trunco.

Hispanis] Anno Christo 1492. cepere Lusitani seu Portugalenses lustrare Oceanum occiduum. Et primò promontorium terræ Americæ attigerũt, deinde utrumq; ejus latus lustrarunt. Secuti sunt eos Ca-

ſtellani, qui Hiſpaniolam & Iſabellam inſulas ceperunt. Cum verò contentio inter Portugalenſes ac Caſtilienſes incidiſſet, ac pugna ad Tagum facta Portugalenſes ſuperiores evaſiſſent: Pontifex Rom. ſeſe interpoſuit, ſententia lata, ut Portugalenſes à meridiano, quem Ptolemæus ultimum ad Occidentem ſtatuiſſet, ortum verſus tenderent, ac Africæ littora ſequerentur: quæ verò ad occaſum eſſent, ea Caſtilienſes acciperent. Quod ab utrisque factum eſt. Nam Portugalenſes prope nunc totum Oceanum Indicum tenent armata claſſe usque ad auream Cherſoneſum & ultra.

Plinius] lib. 7. cap. 2. ¶ Plinius] dicto capite.

Scirpos] Scirpus, juncus, χοῖνος, bintz. Vide proverb. Nodum in ſcirpo quæris. Diodorus Siculus lib. 2. ſcribit in India arundines naſci, quas nemo amplecti poſſit.

Heus quota] 11. Narratio de tintinnabulo, ſeu nola.

Colus] Colus, ein rocken oder werck an der kunckel. Cicero 2. de Orat. Quando ad me venis cum tua colu & lana. Colus eſt hîc genitivus, unde colus Philoſophia, id eſt, muliebris ſuperſtitio, kunckelweißheit/ alter weiber glaub.

Sed ubi] 11. Narratio de horologio viatorio (vulgo compas) cane & horto penſili.

Penſilis] Horti penſiles dicuntur, quod ſupra ædificia facti vel columnas erecti pendeant, quales Semiramis regina fecit, de quibus vide Diod. Siculum. Hîc ſumitur pro horto ante feneſtras poſito. Sic pons penſilis, ein hangende auffziehende bruck. Lychnus penſilis, qui de lacunari pendet. Grapald. lib. 1. c. 5. Sera penſilis, ein malenſchloß. uva penſilis.

Ibi] ante feneſtram.

Ab ſe] Stare ab aliquo, einem beyſtehen.

Diem] Diem dicere alicui, in jus aliquem vocare, ein für Gericht heiſchen.

Capi-

Capitalem] Qui de rebus capitalibus jus dicit, Blutrichter/Blutvogt.

Hem, qui sunt] I v. Narratio de Gallis. Penula autem vestis fuit arcendis pluviis. Lampridius in Alexandro: Pen ulis intra urbem frigoris causa ut senes uterentur, permisit; cum id vestimenti genus semper itinerarium aut pluviæ fuisset, Ein regen oder filzmantel. Juvenalis in satyr. 5.

Fremeret sæva cum grandine vernus
Jupiter, & multo stillaret penula nimbo.

Cicero lib. 13. ad Atticum: Ego ita egi, ait, ut non scinderem penulam, id est, nolui eum retinere, ich habe jm den mantel nicht zerrissen. Et paulò pòst: Horum ego vix attigi penulam, & tamen remanserunt. Vide proverb. Penulam scindere: & Æstate penulam scindere. Erat & penula scortea (scortea enim veteres pelles nominabant) ein liderner Rock oder Mantel. Martialis:

Ingrediare viam cœlo licet usque sereno,
Ad subitas nusquam scortea desit aquas.

Vide Baysium de re vestiaria.

Vinosos] Argumentum à conjugatis. Horatius.

Laudibus arguitur vini vinosus Homerus.

Nunquam facies] Vide proverb. Aquam bibens nihil boni paries.

Nosti] v. Narratio de muliere surda.

Gossypio] Gossypium, xylon, Baumwoll.

Male] Male audire ambiguum est. Significat enim & surdastrum esse & infamia laborare, ein böß gerücht oder geschrey haben.

Sed heus] v I. Narratio de libro amisso.

Propolam] Propola, ein grempler oder fürkäuffler.

Interpolatas] erneurt/ auff ein neues gebunden.

Crumenisecam] ein Säckeldieb.

Soror] v I I. Narratio de gemellis.

Tergeminos] tres infantes.

Plinius] lib.7. cap. 3. Vide exempla alia in Pandectis lib.5.tit.4.lib.3.& l.46. tit.3.l.36.

Bataviæ]Hanc historiam non esse fabulosam, autoritas trium magnorum virorum convincit, Vivis, Erasmi, & Ludovici Guicciardini in descriptione Belgici: qui in quodam monasterio, non procul à pago Hagensi, hujus Comitis monumentum adhuc superesse testatur: cujus epitaphium hoc refert: Illustris domini Florentii, Comitis Holandiæ filia, cujus mater fuit Mathildis, filia Henrici ducis Brabantiæ, fratrem quoque habuit Gulielmum Alemaniæ regem: hæc præfata domina Margareta, anno salutis millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, ætatis suæ anno quadragesimo secundo, ipso die parasceves, hora nona ante meridiem peperit infantes vivos promiscui sexus, numero trecentos sexaginta quatuor, qui postquam per venerabilem Episcopum Dominum Guidonem suffraganeum, præsentibus nonnullis proceribus & magnatibus, in pelvi quadam baptismi sacramentum percepissent, & masculis Joannes, fœmellis verò nomen Elisabeth impositum fuisset, ipsorũ omnium simul cum matris animæ ad Deum æternaliter victuræ redierunt: corpora autem sub hoc saxo requiescunt.

Insulæ]Bataviam Insulã vocat, quia uliginosa terra est, unde & Holandia dicitur à solo per aquas excavato.

Non nosti] 11 x. Narratio de Mannio venante: cuius hic ponitur descriptio ex adjunctis.

Causia]Causia pileus est adversus æstum, à verbo καίω uro, in futuro καύσω, ein scheinhut. Hinc quibusdam causiatus pater, ein Cardinal.

Peronibus] Perones rustica calciamenta sunt, ait Isiodorus lib.19. in fine: bundschuch. Per perones autem non rusticos cum Servio, sed potius cum Tertulliano puros calceos intelligere possumus: quibus per nives, imbres & glaciem veteres etiam usos esse Juvenalis testatur Satyra 14.

Nil

Nil vetitum fecisse volet, quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi.

Eodem sensu perones accepisse videtur Sidonius Apollinaris epist. lib. 4. Quorum pedes (inquit) primi perone setoso ad talos usque vinciebantur: genua, crura, suræque sine tegmine.

Vehentem] id est, qui vehitur: quasi diceres vectum. Eodem modo utitur Livius lib. 2. decad. 3.

Cantherio] Cantherius, ein Münch. quasi carentarius, quod semine careat, autore Varrone.

Strigosissimo] dürr. Hoc verbo utitur Livius.

Metamorphosis] transformatio, transfiguratio. Nomen ex Ovidii libris mutuatum.

En Minerva] Allegoria ex Metonymia: id est, à studiis (quorum præses est Minerva) transiit ad venationem, cuius Dea est Diana.

Auxerat] id est, dives factus est. Augere rem, reich werden.

Artem] Mercaturam.

Equos] ἱπποτροφίαν & ἱπποτυφίαν.

Non aliter] Observa hîc nostros nobiles.

Sequitur] 1 x. Narratio de Curio aleatore & eius socio bibone. Observa quàm prudenter Vives exempla venatorum, aleatorum, potorum, proponat, ut ab his vitiis adolescentes deterreat.

Talis] id est, pessis, tesseris, mit den schelmenbeinlin/ oder würffel.

Famosissimus] Famosus semper in malam partem sumitur, pro infami & intestabili. Itaque cave ne pro celebri temerè usurpes.

Taxillos] Cicero in oratore ad Brutum pro taxillis talos dictos ait fuga literæ vastioris x. Est igitur taxillos mittere cõpositos Germanis, die würffel knüpfẽ: quæ verba quò quisq; melius intelligit, eò pejor est.

Tricongium] Id est, novem mensuras bibentem. Congius enim, secundum Glareanum de Asse cap. 7. continet tres mensuras Friburgẽses, hoc est, circiter tres

Altorfianas & dimidiã. Hinc Ciceronis filius Bicongius dictus, quòd 2. congios vel 6. mensuras biberet.

Amphoram] Amphora est vas octo congiorum, id est, 24. mensurarum Friburgensium. Observa tres insignes metaphoras, quibus potorem designat: amphora, spongia, arena.

Ausculta] x. Narratio de luscinia & cuculo. Quidam autem pro luscinia lucinia scribunt, quia luce canat, quod probo. Fabulam de lucinia vide apud Ovidium lib 6. Metamorph. & Virgilium 6. Ecloga.

Flet] Hemistichium est è Martialis lib. 14.

> Flet Philomela nefas incesti Tereos, & quæ
> Muta puella fuit, garrula fertur avis.

Attica] Atheniensis, Pandionis regis filia.

Numero] Numerum oratorium intelligit, & Atheniensium eloquentiam inde denotat.

Plinius] lib. 10. cap. 29.

Cuculus] Apologus de Cuculo. Horatius lib. 1. satyr. 7. mediam produxit.

> Magna compellans voce cuculum.

Itaq; qui eam corrumpunt, videant cujus avis cantum referant. Cæterum hîc elegans exemplum judiciarii, ut vulgo vocant, processus observa: in quo judex est & litigatores, controversia item & actus judicii: quæ hoc typo intelliges.



Habeo]

Habeo] Intelligit esse fabulam. Poetæ enim fabulas tractant.

Posce] XI. Narratio de magistris nostris.

Cynici] Cynici philosophi à Diogene Cynico dicti, qui canis nomen à mordacitate, qua alios insectatus est, adeptus est. Vide Laërtium in ejus vita.

Cimici] Paronomasia, id est, cimicib. pleni. Voll wantzen oder wandläuß.

Peripatetici] Peripatetici philosophi sunt, qui Aristotelis doctrinam sequebantur, dicti ἀπὸ τοῦ περιπατεῖν, id est, deambulando, quia disputabant inambulantes in Lyceo, ut scribit Cicero in primo Academico. Vide Franciscum Patricium tomo 1. discuss. Peripatet. lib. 10. in principio, & libro primo.

Cultissimus] Nam (ut Laërtius in vita ejus & Ælianus scribunt) veste & annulis & tonsura insignis fuit.

Longum] proverb. Longum valere jubeo: μακρὰν χαίρειν λέγω.

Quid enim] Locus communis de mundicie.

Damnas] Locus ex ambiguo seu ἀμφιβολίᾳ.

Alia est] Locus à diversis seu distinctione.

Scitis] XII. Narratio de Clodio amatore.

Ardere] Metaphora ab igne. Ardere etiam dicitur insanire, unsinnig hold sein.

Equis] Proverb. Ab equis ad asinos, ἀφ' ἵππων ἐπ' ὄνους.

Clodium] Descriptio Clodii ab adjunctis per dissimilitudinem, cujus est hîc protasis.

Renidenti] Renidere est quandam hilaritatem præ se ferre, lætari, gaudere, frölich außsehen. φιλομειδὴς amans risus: Veneris epitheton apud Home. Iliad. γ.

Nunc refert] Antapodosis dissimilitudinis. Observa autem insignem descriptionem Amoris ex tribus locis dialecticis, Adjunctis, Causis, Effectis. Adjunctorum locus primus hîc est.

O miserum] Exclamatio.

At unde] Secundus locus è causis amorē efficientibus,

ut ſunt ſtudia amatoria, otium, ſomnus : quæ vocat fomites amoris.

Nunc inſanit] Tertius locus ex effectis.

Lycoris] Hemiſtichium è Virgilii ecloga ultimā.

Morbum] Periphraſis amoris, qui eſt pernicioſus morbus.

Peregrinatur] Hæc verba ſunt Valerii Maximi de Polemone lib. 6. cap. 11.

Et ille] XIII. Narratio de Luſcone mercatore: quem deſcribit quatuor locis, ſubjectis, adjunctis, effectis, cauſis.

Apertilis] Non obſignata, & quæ aperiri poſſit. Ovidius :

> Aſpicis à dextra latus hoc adapertile tauri.

Craſſæ] Rudis, indoctus. proverb. Craſſa Minerva.

Lanas] Primus locus à ſubjectis mercatoris per enumerationem, eſtque periphraſis mercaturæ.

Glaſtum] Glaſtum Gallica & Britannica vox eſt, herbam eam notans, quæ Græcis Iſatis dicitur : luteum Vitruvius appellat lib. 7. cap. 14. Galli Guadum & Paſtellum vocant, quòd truſatilibus mollis preſſa & exucta, in paſtillos digeratur. Cæſar lib. 5. de bello Gall. Omnes ſe Britanni glaſto inficiunt : quod cæruleum efficit colorem. Vide Plinium lib. 22. cap. 1. Brodæum lib. 5. Miſcellan. cap. Alciatum in Parergis. Germanis dicitur **waid**/officinis Indicum, **Indiſch** à colore. Folia plantagini ſimilia habet, juxtā Plinium.

Braca] Secundus locus ab adjunctis. De braca vide Bayfium in lib. de re veſtiaria : ubi ſic ait : Cauſia tegumentum capitis erat, & quidem Macedonicum. καυσία πῖλος μακεδονικὸς παρὰ Μενάνδρῳ, ait Pollux in decimo. Ἀναξυρίδες Medorum & Perſarum fuerunt feminalia ſeu bracæ, ut Suidas, Heſychius & Euſtathius in Homeri Iliad. ε. Fuerunt autem bracæ Britonum : unde Martialis :

Quod

Quod veteres Bracæ Britonis pauperis.

Item Gallorum : unde Braccati dicti Narbonenſes,ut ait Plinius & Juvenalis ſatyr.8.

Ut Braccatorum pueri,Senonumq́; minores.

Suetonius in Cæſare : In Curia Galli bracas depoſuerunt, latum clavum ſumpſerunt. Fuit item Scytharum habitus è pellibus hirſutis. Ovid.lib.5. Triſt. eleg.10.

Pellibus hirſutis arcent mala frigora,braccis.

Quin &in proverbium abierunt,ut de re inſolita, ἀμαθὴς ἀναξυρίδα περιθέμενος, πᾶσι ταύτην ἐνδείκνυσι, id eſt,imperitus braccam indutus,omnibus eam oſtentat. Hîc autem braca pro ſubligaculo ſumitur,quo femora teguntur. Græci περίζωμα vocant. Athenæus lib. 14. διαζώστρας, ein ſchurtzfel.

Vocat] Tertius locus ex effectis.

Pejerat] Dejerare eſt ſanctè per Deum jurare,pejerare eſt falſo jurare.

A puero] Quartus locus è cauſis,ut efficiente avaritia, & finali lucro.

Attentum] Terentianum. Omnes ſenes hoc vitii habent,quòd ſunt attenti ad rem.

Conſobrino]ſeiner Mutter ſchweſter ſohn. Conſobrini quaſi conſororini , duarum ſororum liberi.

Antonio] XIV.Narratio de Antonio decoctore,Banckenrottenſpiler.

Decoxiſſe] Decoquere propriè eſt coquendo minuere. Hinc per metaphoram decoquere dicuntur qui ſua dilapidant:unde decoctores,quibus lege Roſcia erat ab aliis ſejunctus locus in theatro. Alexan.lib.5.cap. 16. Budæus in annotat. prioribus in pandectas.

Conturbavit] Conturbare, idem quod decoquere, propriè de ſervis dicitur,qui cum rationibus domini paria non faciunt. Plena autem locutio eſt,conturbare rationes aut fortunas. Vide Budæ.in annot. priorib.

Aſylum] Aſylum locus ſacer,quo perfugis tutus eſt receptus,

ceptus, unde nefas est aliquem abstrahere: ab α privativa particula, & συλάω rapio, spolio. Romulus primus Rex Rom. id Romæ aperuit. Livius lib. 1. Virgilius lib. 8. Alexand. l. 3. cap. 20. Polydorus lib. 13. cap. 12.

Uncias] Uncia duodecima pars assis: ein pfenning.

Versuras] Proverb. Vorsuram facere, est creditorem mutare & fœnus fœnore dissolvere: schuld mit schuld bezahlen. Vide Bud. in annotat. prior.

Degluberunt] Metaphora est. proverb. Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere.

Vides illum] XV. Narratio de petaurista seu funambulo, ein gauckler/der auff dem sail gehet. Græcis σχοινοβάτης. Dicitur autē petaurista ἀπὸ τοῦ πέτεσθαι ἐν τοῖς ἀέρσις, à volando in aëre. Vel à petauro. πέταυρον n. pertica est aut tignum, super quo gallinæ dormiunt, hünerstang/item machina alto loco suspensa, à qua qui exiliunt, ex ipso aëre devolare videntur.

Calcibus] Malim calicibus, ut ironia jocosa sit, er gauckelt mit den Bechern.

Etiam de] XVI. Narratio de Hermogene.

Ingeniosissimo] Observa hîc contraria quatuor.

Acutulis] Disputatio de voce Acutus. Est autem metaphora ab acuto angulo sumpta.

Quid factum] XVII. Narratio de adolescente pagano.

Adventorium] pro suo felici advētu, für sein einstand/ εἰσδεκτικόν.

Fugitivarios] Fugitivus propriè est servus, qui extra domini domum fugæ causa, quò se à domino celaret, mansit. l. quid sit. 17. De ædil. edict. Hinc fugitivarius, qui retrahit tales servos è fuga. l. si apud te. 19. & ibi Budæus, de præscript. verbis. Et precium, quod indici tali aut reprehensori dabatur, vocabatur μήνυτρον.

Venustus] Ironia. Venustus à Venere, dea pulchritudinis.

Ama-

Amanuensis] Quam hera semper habet ad manum: Melius diceretur à manibus, ut à pedibus, à calicibus, seu à poculis.
Amitæ] Amita Vatters schwester quasi tertia à me.
Patruelis] Patrueles duorum fratrum liberi. Soror patruelis, Vatters Bruders Tochter.
Nudo] Descriptio ex adjunctis.
Sentum] squalidum.
Gallicis] Gallicæ soleæ ligneæ sunt, quibus rustici utuntur. holtzschuch, Cicero Philippica 2. Redii cum calceis & toga, nullis nec gallicis nec lacerna. Vide Gellium lib. 13. & Baysium de re vestiaria.
Villosa] zottend. Villus, ein zott. Sic Plutarchus ait, inertes canes ferarum pelles domi mordere, quarum villos in venatu attingere non audent.
Levidensa] rara, tenui. proverb. Levidense munus, id est, vile, minimique precii.
Trivio] proverb. In trivio sum, id est, incertus sum.
Circulis] Circulus est congregatio hominum confabulantium in foro aut plateis, proverb. E circulo, id est, homo plebeius.
Quî istuc] Wie so? warumb?
Coclitum] Coclites dicuntur, qui altero lumine orbi nascuntur. Plin. lib. 11. cap. 37. Alex. lib. 1. cap. 9.
Collimabit] alii collineabit, id est, ad lineam diriget, quæ metaphora à jaculantibus est: aut scopum attinget.
Uno] Hemistichium Persianum est è satyra prima.
Subsannabat] Sanna est os distortum seu gestus deridentium à tergo. Hinc Sannio apud Ciceronem lib. 2. de oratore: id est, homo moribus, gestu, vultu denique ipso ridiculus: & subsannare aliquem est Germanis, einem ein Esel stechen. Vide proverb. Postica sanna.
Sed quis] XVIII. Narratio de Torquato.
Torquatus] Torquatus à torque dicitur, einer der ein gülden

gůlden ketten tregt. Vide Livium lib.7.ab U.C.Plinium lib.33.cap.1.Ovidium lib.1.Fastor.Sigonium de Nominibus Rom.

Bracteatus] Bractea est auri extensum & latum quasi folium, lamina ferri. Germanis generaliter, sed abusive dicitur, ein blech / als ein silbern oder gůlden blech. Hodie nostros aulicos, bracteatos dicere eleganter possumus, à latis bracteis ex argento in sagis, Breyte hafften oder affen.

Terram] Alludit ad proverbium, Terræ filius: pro obscuro & ignoto homine. Ein Räiger hat jhn im lufft geschiessen.

Delicias] Delicias facere Latinis est (si modo id tam apte Germani efferre possunt) gar hőflich sein: vulgò ceremoniosum esse, user des ceremonies, estre ceremonieux, ein Geckelmännlin.

Crepundiis] id est, fasciis, quibus infantes involvuntur.

Lanugo] dz gauchhaar / pili qui juvenib. per malas serpunt: dicitur & in pomis persicis lanugo: unde poëta: Tenera lanugine mala.

Hem observ.] XIX. Narratio de observatore: quem Græci ὠτακουστὴν, id est, auscultatorem vocant. Observa gradationem: expedire, explicare, evolvere librum: herfűr thun / aufftthun / die blåtter wenden.

Ageret] id est, accusaret. Reum agere est accusare. Quid sit reus, vide Ciceronem in partitionibus.

Calumniatur] Falsa crimina intendit. Vide Pandectas in tit. De Calumniatoribus.

Hic murus] Carmen est Horatii in epistolis. Hinc proverb. Murus aheneus pro certo & immutabili animi decreto.

Vatrax] id est, rana. Græcis βάτραχος, est rana, quasi βοάτραχος, ab asperitate vocis, ein grober Schwab. Hinc βατραχομυομαχία ranarum & murium pugna, quam scripsit Homerus.

Virgilium] Ecloga.3. Hirqui, sunt oculorum anguli, winckel der augen.

Senten-

Sententiæ.

Qui vult aliquid agere, ei semper opportunitas est.

Malum est, esse surdastrum: sed peius male audire.

Omnia sunt Deo possibilia, imò facilima. πάντα θεῷ δυνατὰ, μᾶλλον ῥᾷστα.

Qui a Minerva transit ad Dianam, ab honestissima occupatione ad inanem & stultum laborem transit.

Multi sunt, qui rentur se non posse nobilitatem generis venari, si quid agunt utile.

Nihil pulchrius aut homine dignius, quàm mundicies & civilis quidam cultus.

Bene habet adhuc, cum hominis animus in malicia tantum peregrinatur, non habitat. Vide primum Davidis Psalmum.

Vorsuras facere, damnosissimum est.

Perditi animi argumentum evidentissimum est, senes irridere & calamitosos subsannare. Isocrat. μηδενὶ συμφορὰν ὀνειδίσῃς: κοινὴ γὰρ ἡ τύχη καὶ τὸ μέλλον ἀόρατον.

Bonæ indolis adolescentibus & pueris debet hoc præcipuè in votis esse, ut parentibus & præceptoribus placeant, & se illis approbent.

ITER ET EQVVS.

Misippus, Philippus, Misospudus, Planetes.

In hoc dialogo continentur ea quæ ad equos & peregrinationes pertinent: de quibus vide in universum Grapaldum lib. 1. cap. 8. & Volaterranum lib. 25. philologiæ. Nos singula genera juxta nomenclaturam primò puerorum gratia proponemus.

Lupatum, ein scharpff gebiß.

Frenum, ein zaum.

Orea.

Orea, der riem vnter dem maul.
Aurea, der riem über die ohren.
Antilena, der brustriem.
Postilena, der hinder riem / hinderbug.
Ephippium, sattel.
Stapes vel stapeda, steigreiff.
Habena, zügel.
Calcar, spor.

Genera equorum.

Asturco gradarius, tollutarius, tieldo, ein zelter.
Mannus, ein kleins rößlein.
Cantherius, ein münch.
Succussator, ein harttrabender gaul.
Vector seu ephippiarius, reittroß.
Clittellarius, saumroß.
Jugalis, helciarius, ziehroß / wagenroß / kummetroß.
Dorsualis, müllerroß / das auff dem rucken tregt.
Meritorius, lehenroß / dreyplappert roß.

Currus
- Species
  - Rheda, ein karr.
  - Sarracum, lastwagen / steinwagen.
- Partes
  - Rotæ, räder.
  - Temo, deichsel.
  - Canthi, radschienen.

Nomina colloquentium decorè ad rem propositam ficta sunt. Misippus, osor equorum: μισῶν τοὺς ἵππους. Philippus, amans equorum: φιλῶν τοὺς ἵππους. Misospudus, osor studiorum: μισῶν τὴν σπουδήν. Planetes, erro, vagus, planus, ein Landstreicher, à πλανάομαι erro, vagor.

PHIL. *Vultisne proficiscamur animi gratia Bononiam, quæ est ad Sequanam?* MISIP. & MISO: *Nihil malumus, die præsertim sereno, & à ventis silenti: tum etiam in nostro pædagogio feriato.* PHIL. *Cur non est nobis operarius?*

varius? M ISO. *Quia Pandulphus madefacturus est hodie ingenti prandio magistros omnes, in honorem laureæ suæ magistralis.* PLA. *Vah, quantum potabitur?* MIS. *Multo plus sitietur.* MISI. *Ego habeo asturconem.* PHIL. *Et ego equum meritorium, conductum de lusco impostore.* MISO. *Ego & Planetes vehemur rheda: reliqui, si videtur, vel pedestres sequentur nos, vel vi brachiorum agent cimbam contra cursum amnis.* PLA. *Imò equis trahetur.* MISO. *Vt erit cordi, nam nobis pedestre iter magis placet.* PHIL. *Eja puer, frena equum meum, & insterne. Quid, malùm, manno indis lupatum? orna potius frenulo illo levi cum bellis.* PVER. *Hui, nec oream habet, nec aureas.* PHIL. *Si scirem quis fregisset, ego illi frangerem.* MISIP. *Quid tu nunc dices concitatus?* PHIL. *Panem in cœna. Accipe, unde poteris, accommodato.* PVER. *Scilicet in mediis pædagogiis quæris tu vel equos, vel equorum ornamenta.* PHIL. *Supple igitur quæ desunt ex hoc fune.* PVER. *Erit deforme.* PHIL. *Abi insane, quis videbit extra urbem?* PVER. *Antilena est dissuta.* PHIL. *Sarcias ligula astrictoria aliqua.* PVER. *Non habet postilenam.* PHIL. *Nec opus est.* PLA. *Magnum equidem & exercitatum, delabetur ephippium ad collum, & effundet te equus supra caput.* PH. *Quid ad me? lutosa est magis via, quàm lapidosa: inficiar cœno, non cruentabor. Sed si hæc*

Lupatum. Frenum. Antilena. Postilena. Ephippium

omnia apparanda, non hinc discedemus ante vesperum, adduc equum qualicunque ornatu. PV. Paratus est, conscende, ah quid agis, pedem dextrum ponis priorem in stapeda? PHILIP. Utrum ergo? PV. Sinistrum, & habenas sinistra manu rege: dextra cape hanc virgulam, quæ erit pro calcaribus. PHIL. Non indigeo, calcanei erunt mihi vice calcarium. PV. Iubellium Tauream videtis, aut qui cum hoc est congressus, Asellum. PHIL. Apage historias in procinctu. ubi reliqui? PVER. Ite, ego comitabor vos pedester. MIS. O equum molestissimum succussatorem, ossa mihi omnia contuderit, priusquam perveniamus in oppidulum. PHIL. Quid malùm est stratum istud tuum? clitella est, ut puto. MISI. Paulò minus. PHIL. Quanti, quanti? MISIP. Numis Turonensibus quatuordecim. PHIL. Equum ipsum cum suo victu & vestitu tanti non emerim, nec videtur mihi equus vector, nec ephippiarius, sed jumentum clitellarium & jugale, aut dorsuale. animadverte quæso, ut passim cespitat? vel in chartam, aut làtum culmum impingeret. MISIP. Quid tu de eo dicis? pullus est adhuc. Sed garrias quæ voles. Vides tu hunc equum? is qualis qualis est, me vehet, aut ego illum. PVER. Ungulam habet tenerrimam miser. PHIL. Quid admonuit te tam accuratè unoculus, cum tibi eum insterneret? MISIP. Rogavit verbis amantissimis, ne duo

Stapeda. Habena. Calcaria.

duo incideremus equo, alter in strato, alter super clunes, & ut in equili diligenter ei substernerem. PV. Nimirum eget misellus, qui latera habet nudata carne. PHIL. Quid agitis vos? non ascenditis in rhedam? PLANET. Probe mones, rhedarius petit nunc altero tanto plus, quàm quanti eramus pacti. PHIL. Cum rhedariis est vobis res, & cum naviculatoribus: facile conficietis omnia, & ex animi sententia. genus hominum est mite, mansuetum, come, urbanum, pium. Rhedarii sunt fex terræ, naviculatores fex maris. date illi dimidium ejus quod plus poscit. PVER. Quotam esse jam horam censetis? PHIL. Ex sole conjicio esse ultra decimam. PVER. Appetit jam meridies. PHIL. Itáne? Heus Misippe, eamus: sequatur qui poterit. Invenient nos ad galerum purpureum, ea est taberna diversoria, sita contra regiam pyramidem, non procul à domo Curionis. MISIP. Qua egredimur? PHILIP. Per portam Marcellinam, ad dextram simplici via & directa. MISIP. Imò teneamus hanc semitam, via jucunda & placida. PHIL. Minimè verò: nihil commodius ac tutius quàm via regia, nam transversis in itineribus amittemus comites. præsertim quòd trames ille, nisi me fallit memoria, est valdè sinuosus, & ambagiosus. MISI. Qui sunt isti hastati? videntur milites ex istis mercenariis. PHILIP. Quid agendum? MIS. Revertamur, ne nos spolient? PHIL.

Progrediamur, nam facile evademus eos cursu equorum per campos. MISI. Quid si gestent tormenta manuaria? PHIL. Nihil tale cerno, sed solas sarissas. MISIP. Accede propius puer. PV. Quid rei est? MIS. Non tu vides illos Germanos? PVER. Quos? MIS. Illos huc venientes adversum nos. PVER. Planè sunt Germani, sed Parisienses rustici duo cum suis baculis. MISI. Profecto ita est: benè sit tibi, animam mihi & vitam reddidisti. Sed ubi Misospudus & Planetes? PVER. Rhedarius iratus, quod non, quantum postulaverit, accipiat, duxit eos via salebrosa: equi dum magna enituntur vi rotas in alto cœno hærentes extrahere, temonem & helcia confregerunt, tum canthi revulsi sunt cum clavis, & ipse rotam sufflaminaverat imprudens, bili excæcatus: nunc ea reficit stomachabundus, & convitians divis omnibus, vectores quoq; diris devovens atrocißimis. PHI. Quæ capiti illius sint. PV. Puto eos rheda relicta transituros in sarracum, quod sine onere habet iter Bononiam. Glaucus & Diomedes ingreßi erant in scapham quandam, sed nautæ negant se hoc vento posse remis aut contis agere navigium: equos helciarios narrant omnes esse occupatos, nescio qua materia vehenda: ita nondum religarant prymnesium. PHIL. De naulo nihil novi? PLAN. Nihil prorsus. PHIL. Mirum est, sed conjicio quid futurum sit: non pervenient illi Bo-

li Bononiam ante serum dici. MISI. Quid tum? sumemus diem crastinum totum ad reficiendum animum. Aspice ut fluviolus ille leniter labitur! aquæ planè crystallinæ inter scrupos aureos, quàm jucundum murmur? Audis lusciniolam & carduelem? profecto territorium hoc Parisiense amœnißimum est. PHIL. Quod spectaculum potest esse huic par? quàm placido agmine fluit Sequana? ut fertur navicula illa plenis sinibus, & secundo vento? mirifice his omnibus redintegrantur animi. O pratum miro artificio vestitum! MISIP. Nempe ab admirabili artifice. PHIL. Quam suavem odorem eructat! MISI. Hac, hac ad sinistram flectito, ut vites cœnum tenacissimum, in quo gradarius tuus statim unguem amitteret. Quàm contrarius hic campus suo vicino, obsitus situ, squallidus, cariosus, horrens petris & spinis armatus. PV. Non vides esse agrum ruderatum ex villæ ruinis: & alioqui frumentarius est. Hyberno pulvere, verno luto, magna farra Camille metes. PHIL. Quæso cantilla versus aliquot, ut soles. MISI. Placet.

Felix ille animi, divisq; simillimus ipsis,
Quem non mendaci resplendens gloria fuco
Sollicitat, non fastosi mala gaudia luxus:
Sed tacitos sinit ire dies, & paupere cultu
Exigit innocuæ tranquilla silentia vitæ.

PHIL. Versus facetißimos, & gravißimos, cujus quæso sunt? MISI. Non agnosti? PHIL. Non.

MIS. *Angeli Politiani.* PHI. *Vetustiores putavi, & habent gratiam antiquitatis. Suspicor nos deerrasse.* MISI. *Heus bone vir, qua itur Bononiam?* RVSTICVS. *Aberrastis: obvertite canterios vestros ad bivium illud, & tenete viam, quam radit flumen, ea vos non sinit falli: recta est & simplex usque ad vetustam quercum. inde ad manum hanc vos præcipitate.* MISIP. *Habemus gratiam.* RVST. *Ducat vos Deus.* MISI. *Mallem currere quàm sic ab equo isto concuti.* PHIL. *Tanto cœnabis avidius.* MIS. *Imò non potero cœnare delassatus, & confractus toto corpore, citius quæram de lecto, quàm de mensa.* PHIL. *Sede conjunctis cruribus, non divaricatis: minus senties laborem.* MIS. *Hoc est fœminarum, & facerem, nisi metuerem derisus & sannas prætereuntium.* PV. *Siste parumper Philippe, dum hic fab r ferrarius calciarit asturconem tuum, cui excussa est solea dextri pedis.* MISI. *Quin potius moremur hîc, ut clauso diversorio sub dio dormiamus.* PHIL. *Quid tum? in aperto mundo: an non id præstabilius, quàm in clauso? gravius esset, quod incœnes.*

Vultis] Exordium dialogo à causa finali & loco.

Sequanam] Sequana fluvius Parisiorum Lutetiam secans. La Seine. Belgas separat à Celtis, oritur in ducatu Burgundiæ: circa Rotomagum ingreditur Oceanum. Vide Cæsar. lib. 1. de bello Galli. Ptolem: tab. 3 Europæ. Dixit autem ad Sequanam, ad differentiam alterius Bononiæ quæ est in Italia.

Die]

Die] Ab adjunctis temporis.

Asturconem] Plinius lib. 8. cap. 42. Asturcones quibus non vulgaris in cursu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio: talē gressum Græci ὁδόδρομον vocant: Woltrabend. Dicuntur & tieldones & tollutarii equi, à tollendis pedib. & tollutim glomerandis, ein zelter der im dreyschlag geht. Martial.

Hic brevis ad numerū rapidos qui colligit ungues,
Venit ab armiferis gentibus, Astur equus.

Impostore] Impostor dicitur, qui equos alit, eosq́, elocat, aut etiam vendit, qui aliàs mango equorum. Dicitur autem impostor ab imponendo aliis, quia hoc genus hominū equis vitiosis decipit homines. Vide de ejusmodi imposturis Hippoplanum dialogum Erasmi, ubi graphicè hoc genus hominū depingit.

Pedestre] Melius est, terrestre. Catonem Majorem trium pœnituisse ferunt. I. Si arcanum mulieri credidisset. II. Si qua dies illi sine fruge abiisset. III. Si navigio ivisset, quo itinere pedestri pervenire potuisset.

Malùm] Malùm cum gravi, est interjectio indignantis.

Insternere] Insternere equum, ein Pferd satlen.

Levi] glat: prima longa.

Oream] Orea, corrigia est sub ore; aurea, corrigia ad aures: autore Pompeio.

Quid tu] Interpellatio, interfatio: qua interrumpitur sermo.

Scilicet] Ironia. Scilicet hic superis labor est, Virgil.

Ornamenta] Phaleras.

Antilena] Antilena est lorum, quo pectus equi cingitur: postilena, quod sub caudam ponitur, vel quod à strato seu sella ad caudam porrigitur. Plautus in Casina. Ita te à gerunda aqua curvum faciam probe, ut postilena possit ex te fieri.

Magnum] Exclamatio.

Ephippium] stratum, sella, der sattel/ab ἐπὶ & ἵππος.

Proverb. Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

Stapeda] Novæ rei novum vocabulum fingere coëgit necessitas & inopia. Dicitur à stãdo & pedibus. Observa rationem conscendendi equum & equitandi.

Calcanei] calces, die Fersen.

Jubellium] Jubellius Taurea longè Campanorum fortissimus eques, Claudium Asellum civem Roman. equestri gloria sibi parem, in singulare certamen provocavit. Vide Livium lib. 3. deca. 3. Proverb. Cantherium in fossa.

In procinctu] Phrasis est sumta a militibus, qui prælium inituri, scutaq; sumturi, togam præcingebant, & sic etiam testamenta faciebant, quæ vocabantur in præcinctu: ut Plutarch. in Coriolano testatur. ἦν τότε ῥωμαίοις ἔθος εἰς τάξιν καθισταμένοις, καὶ μέλλουσι τοὺς θυρεοὺς ἀναλαμβάνειν, περιζώννυσθαι τήβεννον, ἅμα καὶ διαθήκας ἀγράφους γίνεσθαι.

Clitella] Clitellæ dicuntur quibus alligatæ sarcinulæ mulis & id genus veterinis portantur: ut scribit Pompeius. Proverb. Bovi clitellas. Cicero ad Atticum lib. 5. Clitellæ bovi sunt impositæ, plane non est nostrum onus: sed feremus.

Turonensibus] Nomismatis Gallici genus est.

Cespitat] Equus cespitat, das Pferd stösset an.

Culmum] an einem Strohalm stieß es an.

Substernerem] scilicet paleam aut stramen ad cubandum.

Facile] Ironia.

Fex] Metaphora est pro deterrima re. Proverb. De fece haurire.

Curionis] Curio sacerdos est, qui præest parœciæ, vulgo parochus & pastor.

Semitam] Semita, ein Fußpfad/ quasi viæ semissis seu semi iter.

Regia] Landstraß/ λεωφόρος, Proverb. Cum absit via, semitam quæris.

Trames]

Trames] Transversa via, à trans & meo.

Manuaria] Handrohr/Fäustling.

Sarissas] Sarissæ hastæ Macedonum. Pompejus.

Helcia] kummet. Helcium est lorum aut capistrum aut tenia spartea collo jumentorum addita, ut ea machinas aut molas trahant: ab ἕλκω traho. Hinc helciarius apud Martialem, qui fune canabino navem trahit adversus undas: & Sidonius.

Curvorum hic chorus helciariorum.

Sufflaminaverat] Sufflamen catena, funis aut lignum, quod rotæ injicitur, ne in præceps feratur currus. Hinc sufflaminare currum, ein Rad sperren.

Sarracum] Vitru. Vehiculum, quo onera & moles vehuntur.

Glaucus] Nomina hæc sunt duorum ducum apud Homerum in Iliade, de quibus vide Proverb. Glauci & Diomedis permutatio. Ein rossz vmb ein sackpfeiff.

Scapham] Justinus lib. 2. scapham inter piscatoria navigia ponit: cum de Xerxe loquitur, qui cum solutum pontem ad Hellespontum hybernis tempestatibus offendisset, piscatoria scapha trajecit trepidus. Labeo in l. fin. de fundo instructo: scapham facit instrumentum navis, etiamsi Paulus id notet. Vide Bayf. de re navali.

Prymnesium] Prymnesium funis est, quo navicula terræ alligatur à puppi. Homer. Iliad. α.

Κατὰ δὲ πρυμνήσι' ἔδησαν.

Quintilianus oram vocat. Est ergo religare prymnesium idem quod oram solvere, vom Land fahren oder stossen.

Naulo] Naulum merces est, quæ pro transvectione solvitur: Schifflohn.

Aspice] Descriptio fluvii.

Scrupos] Scrupus est parvus lapillus. Hinc diminutivum scrupulus pro eodem. prov. Scrupulũ injicere.

Territorium] Territorium est universitas agrorum in-

tra fines cujusque civitatis: quod ab eo dictum quidam ajunt, quod magistratus ejus loci intra eos fines terrendi, id est, submovendi jus habet. l. pupillus. 239. §. penult. De verborum signific. ein Gebiet.

Agmine] Virgil. Placido fluit agmine Tybris.

Secundo] Ventus secundus dicitur, cum sequitur à puppi. Hinc proverbio secundis ventis navigare dicitur, cui res ex sententia succedunt. Græcis ἐξ οὐρίας. Vide proverb. Plenis velis.

Pratum] Pratum est, in quo ad fructum percipiendum falce duntaxat opus est ex eo dictum, quòd paratum sit ad fructum capiendum. Modico enim opere pratum fit, ut quod nec aratro, nec annua semente indigeat. l. pratum. 31. De verb. signific.

Artifice] scilicet Deo. A causa efficiente.

Cariosus] Plenus carie, hol/wurmstichig. Ovidius:

Vertitur in teneram cariem, rimisque fatiscit,
Si qua diu solitis cymba vacarit aquis.

Ruderatum] Ruderibus plenum, steinacker. Rudera, alt zerfallen gebäu.

Hyberno] Rusticum vetus canticum fuisse testatur Macrob. lib. 7. Satur. unde Virgilius lib. 1. Georg. illud sumpserit:

Hyberno lætissima pulvere farra,
Lætus ager.

At Plinius lib. 17. cap. 2. videtur Virgilium emendare. Ergo qui dixit serenas hyemes optandas, non pro arboribus vota fecit.

Politiani] In Rustico, seu libro cujus titulus Rusticus.

Antiquitatis] Carmē debet gratiam vetustatis habere.

Habemus] Habemus gratiam, animo: agimus, verbis: referimus, re.

Divaricatis] gritlingen.

Sannas] De hoc superius diximus, Prov. Postica sanna.

Sub dio] sub cœlo, sub Jove, ζεὺς enim διὸς Jupiter est. Hinc poëta: Sub Jove lenta pati frigora jussit amor.

SCRI-

SCRIPTIO.

Manricus & Mendoza, Magister.

Ut suprà in quinto dialogo rationem legendi docuit, ita hîc rationem eleganter scribēdi explicat. Nec enim parvum decus docti hominis est, scite literas pingere. Addit autem laudem rectæ scriptionis & modos varios scribendi, item quædam de pennis & earum præparationē, deque chartarum speciebus & literarum adjunctis, atque aliis.

MANR. *Adfuistin' hodie, cum ille haberet orationem de utilitatibus scribendi?* MEN. *Ubi nam?* MAN. *In auditorio Antonii Nebrissensis.* MEN. *Minimè verò: sed tu recense, si qua hæserunt memoriæ.* MAN. *Quid ergo recenseam? dixit tam multa, ut omnia prope exciderint.* MEN. *Ergo contingit tibi, quod de vasis angusti orificii Quintilianus dicit, quæ superfusam humoris copiam respuunt: sensim si instilles, recipiunt. Sed nihil retinuisti penitus?* MA. *Propemodū nihil.* ME. *Aliquid igitur.* MA. *Perpusillum.* ME. *Isthuc ipsum perpusillum fac mihi etiam commune.* MA. *Primum omnium ajebat esse perquam admirabile, tātam varietatem humanarū vocum paucis potuisse literis comprehendi: deinde amicos absentes posse inter se beneficio literarum colloqui. Addebat, nihil esse visum mirabilius apud insulas istas, à regibus nostris recens inventas, unde aurum adfertur, quàm posse inter se homines aperire quæ sentiant, tanto inverval-*

1. De utilitate scribendi.

lore-

lo regionum missa chartula aliqua, maculis nigris distincta. Rogabant enim, an papyrus sciret loqui: hæc ille: & alia permulta, quæ sum oblitus. MEN. Quamdiu dixit? MAN. Horas duas. MEN. Ex tam longa oratione tam paucula mandasti memoriæ? MANR. Mandavi quidem memoriæ, sed ea noluit retinere. MEN. Planè dolium habes filiarum Danai. MAN. Imò excepi cribro, non dolio. MEN. Accersamus aliquem, qui tibi ea, quæ ille dixit, redigat in memoriam. MAN. Mane tamen, nam aliud quiddam cogitatione quæro, teneo. MEN. Eloquere tandem: cur non excipiebas penna? MAN. Non erat ad manum. MEND. Ne pugillares quidem? MAN. Ne pugillares quidem. MEN. Exprime hoc tandem. MAN. Aufugit jam, tu excussisti menti, tam odiose interpellando. MEN. Hui tam citò? MANR. Rediit in memoriam. Ex autoritate nescio cujus scriptoris adfirmabat, nihil esse, ad magnam eruditionem compendiosius, quàm probè ac celeriter pingere. MEN. Quis est autor? MAN. Nomen sæpe audivi, sed memoria effluxit. MEN. Ut alia. sed huic præcepto non paret vulgus nostræ nobilitatis, quæ pulchrum & decorum sibi esse ducit, nescire literas formare: dicas scarificationem esse gallinarum, & nisi præmonitus sis cujus sit manus, nunquam divinaris. MAN. Et ea de causa vides, quam crassi sunt homines, quàm amentes & opinio-

Nobiles.

opinionibus corruptißimis. MEND. *Quomodo sunt vulgus, si nobiles? an non hæc multum inter se distant?* MAN. *Quia vulgus non vestibus & possesionibus distinguitur, sed vita & judicio de rebus integro.* MEN. *Vin' ergo ut nos à vulgari ista inscientia vindicemus? tradamus nos huic exercitamento.* MANR. *Nescio quo pacto naturale est mihi, distortè, inæqualiter, perturbatè exarare literas.* MEND. *Hoc habes nobilitatis, exerceas te: nam assuefactio mutabit, quod naturale esse ducis.* MAN. *Sed ubi is habet?* MEN. *Ex me tu id quæris? qui nec audivi hominem, nec vidi, cum ipse eum audieris tu. quantum intelligo, velles omnia ingeri tibi præmansa in os.* MANR. *Nunc commemini: ajebat sibi domum conductam juxta ædem divorum Iusti & Pastoris.* MANR. *Est ergò vicinus vester: eamus.* MANR. *Heus puer, ubi est Magister?* PVER. *In illo conclavi.* MAN. *Quid agit?* PVER. *Docet quosdam.* MAN. *Significa illi, astare hic pro foribus, qui huc etiam veniunt, ut ab eo doceantur.* MAG. *Qui pueri sunt isti? quid petunt?* PVER. *Te cupiunt conventum.* MAG. *Admitte eos ad me rectà.* MANR. & MEN. *Optamus tibi salutem & omnia prospera, Magister.* MAG. *Et ego vicißim vobis felicem huc ingressum: sospitet vos Christus, quid est? quid vultis?* MAN. *Doceri abs te artem istam, quam profitêre, si modo vacat, & si vis.*

II. De magistro.

MAG.

MAG. *Profecto oportet vos esse pueros honestissime educatos, qui & sic loquamini, & tam modesto sitis ore. Nunc verò magis cum tota facie suffudit se vobis rubor, confidite filii, nam iste color virtutis est: quî vocamini?* MAN. *Manricus & Mendoza.* MAG. *Nomina ipsa testantur ingenuam educationem, & generosos animos. Ita demum eritis verè nobiles, si iis artibus excolatis animos, quæ maximè sunt dignißimæ claris natalibus. Quantò magis sapitis vos quàm multitudo ista nobilitatis, qui eò se habitum iri generosiores sperant, quo imperitius pingant literas. Sed minimè est hoc mirandum, quandoquidem persuasio hæc dementiam nobilitatis jam pridem invasit, nihil esse abjectius aut vilius, quàm aliquid scire. Ergo videre est, illos epistolis à librariis suis compositis subscribentes id, quod nullo pacto legi potest: nec scias, à quo tibi epistola mittatur, nisi sit à tabellario prædictum, aut signum agnoscas.* MAN. *Id modò ego & Mendoza querebamur.* MAG. *Sed venitis huc armati?* MAN. *Minimè verò bone præceptor: vapularemus à nostris pædagogis, si ausi essemus arma hac ætate vel aspicere: nedum tangere.* MAG. *Ah, ah, non loquor de armis crudelitatis, sed de istis scriptoriis, quæ ad præsentem rem faciunt. Habetis thecam pennariam cum pennis?* MEN. *Quid rei est theca pennaria? an ea, quam nos calamarium nominamus?*

Vera nobilitas.

MAG.

MAG. *Ea ipſa, nam antiquiſsimi homines ſolebant ſtylis ſcribere, quibus ſucceſſerunt calami, & potiſsimum Nilotici. Agareni, ſi quos vidiſtis, harundinibus ſcribunt à dextera in ſiniſtram, ſicut omnes penè ad Orientem nationes. Europa Græcos ſecuta, contra à ſiniſtra in dexteram.* MAN. *Etiam Latini?* MAG. *Latini quoque, fili: ſed hi à Græcis habent originem, & olim veteres Latini ſcribebant in membrana deletili, quæ vocabatur palimpſeſtos, tum una tantum facie: nam qui utrinque erant libri conſcripti, opiſtographi dicebantur: qualis fuit Horeſtes ille Iuvenalis, ſcriptus & in tergo, nec dum finitus. Sed hæc aliàs, nunc ea quæ inſtant: Anſerinis pennis ſcribimus, aliqui gallinaceis. Veſtræ iſtæ ſunt egregiè habiles, nam ſunt caule amplo, & nitido & firmo: detrahite plumulas ſcalpello: & detruncate aliquid è cauda: tum eradite, ſi quam habent ſcabriciem, nam levigatæ fiunt aptiores.* MAN. *Nunquam ego gero niſi deplumatas, & nitidas, ſed inſtitutor meus docuit me eas lenes facere ſaliva, & adfricatione ad adverſam tunicam, vel fœminicruralia.* MAG. *Præſens conſilium.* MEN. *Doce nos aptare pennas.* MAG. *Primum omnium reſcindetis utrinque caput: ut fiat bifurcata. tum in ſuperiore parte inciſuram facite ſcalpello ſenſim ducto, quæ crena vocatur: hinc æquate duos illos pedunculos, ſeu mavultis nominare cruſcula, ita tamen ut altius*

III. Modi varii ſcribendi.

IV. De pennis & earum aptatione.

altius sit dextrum, in quod penna scribendo incumbit, id tamen discrimen vix perceptibile oportet esse. Pennam si firmius vis chartæ imprimere, tribus digitis teneto: sin celerius duobus, pollice & indice, more Italico. nam medius inhibet magis cursum & moderatur, ne se immodicè effundat, quàm adjuvat. MANR. *Profer atramentarium.* MEN. *Hem cornu atramentarium elapsum est mihi venienti huc.* MAG. *Puer, profer ampullam illam atramentariam, ex ea effundemus in hoc mortariolum plumbeum.* MEN. *Sine peniculo?* MAG. *Ita hauries penna liquidius & commodius: nam in gossipio vel filo bombycini, aut lini, quum pennam intingis, adhæret semper crenæ fibra aliqua vel flocculus, in quo detrahendo fit mora scriptioni: aut si non detrahas, lituras verius effingas quàm literas.* MEN. *Ego ex sodalium consilio linteolum Melitense indo, aut bombycinum leve ac tenue.* MAGI. *Istud verò est satius. Cæterùm multò præstat, solum atramentum infundere in mortariolo quidem fixo, nam quod circumgestandum est, huic omninò opus est peniculo. Cæterùm habetis chartam?* MEN. *Hanc.* MAG. *Asperam admodum, & quæ pennam remoretur, ne inoffensè decurrat, quod est studiis noxium. Nam dum luctaris cum scabricie chartæ, elabuntur multa ex iis, quæ scribenda cogitaveras. Hoc genus chartæ amplæ, densæ, duræ, scabræ,*

Atramentarium.

v. De charta.

scabræ, librariis relinquite: quæ ideo librariæ nuncupantur, quod ex eis fiant ad diuturnitatem libri: nec illam quotidiano usui paraveritis grandem, Augustam sive imperialem, quæ de rebus sacris hieratica nominatur, quales videtis in libris sacrarum ædium: acquirite vobis chartam epistolarem, quæ ex Italia adfertur optima, tenuissima & firma: vel vulgarē illam, quam ex Gallia important, quam passim invenietis venalem in singulos codices numis octonis plus minus, dabitur vobis pro corollario philura una aut altera chartæ emporeticæ, quam bibulam dicimus. MEN. *Quæ est horum nominum ratio? nam sæpè dubitavi.* MAG. *Emporetica de Græco venit, ab involvendis mercibus, & bibula, quod atramentum absorbeat. Ita non erit vobis opus furfuribus, aut sabulo vel pulvere de pariete eraso. Sed omnium optimum est, cum per se literæ exiccantur: eo enim modo diuturniores fiunt. Proderit tamen emporetica, quam sub manum extendatis, ne sudore aut sordibus maculetis papyri candorem.* MAN. *Cedo jam nobis, si videtur, exemplar.* MAG. *Primum abecedarium, deinde syllabatim, tum verba conjuncta, ad hunc modum. Disce puer quibus fias sapientior, & proinde melior. Voces sunt animorum signa inter præsentes, literæ inter absentes. Hæc effingite, & redite huc à prandio, vel cras, ut scripturam vestram emendem.* MAN.

Exemplar.

Faciemus : interea commendamus te Christo. MAG. *Et ego vos eidem* MEND. *Secedamus, ut absque interventu sodalium & interpellatione meditemur, quæ à magistro hoc accepimus.* MAN. *Placet mihi : ita fiat.* MEN *Ventum est quo volebamus : Assideamus in his saxis.* MAN. *Etiam sed aversi à sole.* MEN. *Mutua mihi dimidium chartæ folium, quod reddam cras.* MAN. *Sufficit tibi hoc frustulum?* MEN. *Hui, non capiet sex versus : ex meis præsertim.* MANR. *Scribe in utraque facie, & duc versus densiores : quid necesse habes tam magna interstitia relinquere?* MEND. *Ego ne? vix intervallum est ullum: nam literæ sese utrinque attingunt, præsertim quæ longos habent apices, aut pedes, ut b & p. Sed quid tu? jam ne duos versus exarasti? & quidem eleganter, nisi quod sunt pravi.* MANR. *Scribe tu seorsum, & tace.* MEN. *Enimvero penna & atramento hoc scribi nullo pacto potest.* MAN. *Quid ita?* MEND. *Non cernis, ut penna respergit chartam atramento extra literas* MANR. *Atramentum meum adeò est crassum, ut limum esse credas, aspice amabo, ut hæret in summa crena, nec ad characteres formandos defluit. Quin igitur utrique incommodo medemur? tu de cuspidibus pennæ rescinde scalpello, quo ad atramentum commode colligat in literas : ego in atramentarium, quò sit atramentum liquidius, instillabo guttas aquæ aliquot.*

aliquot. MENDO. Immejito potius. MAN. Oh ne lotium, fœtebit atramentum ipsum, & quicquid scripseris: nec facile deinceps odorem hunc elueris è peniculo: optimum esset acetum, si haberes ad manum, nam hoc vi sua statim disrarat densum atramentum. MEND. Verum: sed periculum est, ne acrimonia sua chartam penetret. MAN. Nihil tale metuas: hæc charta maximè omnium continet atramentum, ne effluat. MEND. Extremæ hujus tuæ chartæ oræ inæquales sunt, rugatæ & asperæ. MANR. Demarginato chartam aliquantum forficibus, nam hoc est etiam elegantius, aut citra eam asperitatem scribendo subsiste: tibi semper levissimæ offensiones satis magno impedimento sunt, ne pergas: sed quicquid est in manibus, abjicias illico. MENDO. Redeamus jam ad præceptorem. MAN. Videtur tibi tempus? MEN. Metuo ne præterierit jam tempus: nam solet maturè cœnare. MAN. Eamus: ingredere tu prior, qui habes minus cordis. MEND. Imò tu potiùs, qui minus frontis. MAN. Vide ne quis ab illo exeat, qui deprehendat hic nos jocantes, & lascivientes. Pulsemus fores annulo, etsi patentes, nam hoc fuerit urbanius. At at. PV. Quis istic? recta introeas: quisquis es. MAN. Nos sumus: ubi est institutor? PV. In conclavi. MENDO. Omnia sint tibi fausta præceptor. MAG. Feliciter veneritis. MEND. Effinximus quinquies aut sexies

xies tuum exemplar in eadem charta: referimus hoc opus nostrum ad te emendandum. MAGI. *Rectè facitis. Ostendite: posthac relinquite majorem intercapedinem versuum, ut sic ego possim corrigere vestra errata ad emendationem. Hæ literæ sunt admodum inæquales, quod est in scribendo fœdum. Animadverte quanto n, majus est quàm e: & o, quàm orbis hujus p? nam literarum corpora omnia oportet esse æqualia.* MEN. *Quid quæso vocas corpora?* MAG. *Media in literis, præter apiculos, & pedunculos, si quos habent. apices habent b, & l, pedes p, & q. Iam in eodem m, crura sunt imparia, primum brevius est medio, & nimis magnam caudam trahit, sicuti & illud a, nec satis imprimitis pennam chartæ, vix hæret atramentum, nec dignoscas quæ sint elementa. Quod literas has transformare tentaris in alias, erasis particulis cuspide scalpelli, magis deturpasti scripturam: satius fuisset, tenuem lituram inducere. Tum & quod superest verbi in fine versus, transferre in caput sequentis, modo integræ sint semper syllabæ, quæ secari non patitur lex Latinæ scriptionis. Augustum Cæsarem produnt memoriæ, non solitum verba dividere, nec ab extrema parte versum abundantes literas in alteram transferre, sed ibidem statim subjicere & circumducere.* MAN. *Nos id libenter imitabimur, quoniam exemplum est regis.* MAN. *Recte facitis: quo-*

In scribendo quid vitandum.

VI. De literis.

quomodo enim aliter approbaretis, vos ex illius esse satos sanguine? Sed ne conjungatis omnes literas, nec omnes separetis. Sunt quæ vinciri inter se postulent, ut caudatæ cum aliis, velut, a, l, u: item hastatæ, ut f, & t. Sunt quæ recusent, nempè orbiculatæ, p, o, b. Quantum poteritis, recto capite scribite: nam inflexo atque incumbenti, defluunt humores ad frontem & oculos: unde morbi nascuntur multi, & videndi imbecillitas. Accipite alterum exemplar, quod exprimatis cras, DEO propitio.

Quæ literæ conjungendæ.

Quomodo scribendum.

Ovidius.

Sed propera, nec te venturas differ in horas:
Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Et aliud Martialis de Notario.

Currant verba licet, manus est velocior illis,
Nondum lingua suum dextra peregit opus.

MEN. Vis ne etiam lituram hanc reddamus?
MAN. Lituram sane, modò & alia probè exarata. MEN. Interea optamus te bellißimè valere.

Antonii] Ælius Antonius Nebrissensis, bonarum literarum & Latinæ linguæ primus apud Hispanos assertor, Compluti docuit. Motta.

Ergo] Similitudo sumta ex Quintiliani lib. 1. cap. 2.

Primùm] Prima pars de utilitate scribendi.

Insulas] Intelligit Americã & alias novi orbis insulas.

Nostris] Hispanis. Nam primus Christophorus Columbus Genuensis, Ferdinando & Isabella regibus Hispaniarum, novũ orbem investigavit anno 1492. & Cubam, Hispaniolam, Cubaguam, insulas: item Veraguam & Urabam Indicæ continentis provincias detexit.

Loqui] Indis principio persuasum erat, epistolas, quas Hispani mutuò ad amicos mitterent, animatas esse & loqui. Cujus rei lepidam historiam narrat Gomara. Mittebat Hispanus quidam ad amicũ duodecim Hutias (id est, Cuniculos Indiæ occidentali peculiares) assos, ne æstu corrumperētur. Indum qui deferebat, quum vel obdormisset fessus de via, vel interquiesset, diutius morantem in itinere fames corripit: tres Hutias absumit. Revertitur, literas ab amico illo ad herum referens, quibus ille de novem Hutiis ad se missis gratias amico agebat. Hispanus perlectis literis irascitur servo. ille duodecim reddidisse se affirmat. Sed cum epistolæ indicio proderetur, rubore perfusus verum aperit: & suos ea de re populares commonefacit, ut sibi à foliis & chartis ejuscemodi loquacibus caverent. Vide Benzonem lib. 2. cap. 17. Lerium navig. Brasil. cap. 16.

Danai] Vide proverb. Danaidum dolium, Dolium inexplebile, & Cribro aquam haurire. Fabula fertur de Danai filiabus, quod ob sponsos necatos has pœnas apud inferos luant, ut situlis perstillantibus aquam hauriant, atque in dolium item pertusum infundant, gravi nimirum, sed inutili labore.

Pugillares] Pugillares tabellæ apud veteres erant ceratæ, in quibus stylo scribebant. Grapal. lib. 2. ca. 9. Schreibtafel.

Scriptoris] Quintiliani lib. 1. cap. 1.

Scarificationem] Metaphora est, Hünerkratzen.

Habet] Græcismus ἔχει, pro habitat. Secunda pars est de magistro.

Præmansa] man muß dirs alles vorkäuen. Vide proverb. Præmansum in os inserere.

Rubor] Locus communis de verecundia & modestia in adolescente.

Ita demum] Observa quænam sit vera nobilitas.

Nam antiquissi] Tertia pars de variis scribendi modis.

Mela

Mela lib.1.ca.9. Ægyptii suis literis perversè utuntur. Eandem rationem legendi & scribendi cognatæ linguæ sequuntur, Chaldæa, Indica & Arabica. Vide Volaterranum lib.11.

Nilotici] E Nilo Ægypti fluvio sumti, rhor. Calamus scribit in charta, stylus in tabula vel cera. Grapald. lib. 2.cap.9. Martialis:

Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus.

Agareni] Hi vulgò Saraceni vocantur. Nam cum ab Agar ancilla Abrahæ, Ismaelitæ Agareni dicerentur, ut patet ex 1.cap. Paralip. maluerunt appellari Saraceni, quia gloriosius esset dici ortos à Sara uxore Abrahæ, quàm ab ancilla Agar.

Palimpsestos] Differt a pugillaribus, quod hi bivalves sint & complicentur: ille sola lamina, membrana aut corio asinino cretato, gypsatóve constat. Grapald. lib. 2. cap. 9.

Opistographi] Libri in tergo scripti. Grapald. d. libro & capite, & Hermolaus Barbarus in indice castigationum in Plinium & Alexand. lib. 2. cap. 30.

Juvenalis] In satyræ primæ initio.

Anserinis] Quarta pars de pennis & earum aptatione.

Peniculo] Peniculus, ein lump oder fetz.

Lituras] Paronomasia.

Melitense] Melitense errore μνημονικῷ pro Milesio dixit. Nota est enim Milesiorum mollicies in vestitu, propterea quòd apud illos texta essent mollissima: unde quicquid molle est, Milesium dicitur. Vide proverb. Domi Milesia. Linteolum Milesium, ein weich lümplin. Bombycinum, seiden oder daffet.

Cæterum] Quinta pars de charta. Vide Grapald. lib. 2. cap. 9.

Augustam] ab Augusto dictam. Plinius lib. 13. cap. 12.

Hieratica] Libris templorum ad Musicam idonea. Polydorus Virgilius lib. 2. de inventor. rerum cap. 8.

Philura vel philyra] ein blat papir.

Bibulam] A bibendo, Fließpapier oder Maculatur.
Emporetica] Locus à notatione.
Cordis]id est, qui es timidus.
Frontis, id est, qui es impudens. Proverb. Perfrictæ frontis.
Sic ego] Alii habent, ut sit ubi ego.
Quid quæso] Sexta pars de literis & earum adjunctis.

Sententiæ.

Obliviosus habet dolium Danaidum.
Assuefactio mutat, quod naturale est.
Rubor est color virtutis in adolescentibus.
Disce puer quibus fias sapientior & proinde melior.

VESTITVS ET DEAMBVLATIO MATVTINA.

Bellinus, Malvenda, Ioannius, Gomezulus.

Hic Dialogus (ut inscriptio indicat) duas partes habet. Prior est paraphrasis primi dialogi: eadem enim ferè agit, quæ ille, sed uberius: describit enim rationem induendi seu vestiendi se, & genera vestitus. Altera continet deambulationem matutinam & insignem descriptionem Veris per omnes sensus deductam.

1. Pars. MALVEN. *Nempè hoc aßiduè: jam clarum mane fenestras intrat. Stertimus indomitum, quod despumare falernum sufficiat.* BEL. *Apparet profecto insanire te, nam alioqui nec tam multo mane esses experrectus, nec versus funderes, & quidem Satyricos, quò manifestius rabiem tuam patefacias.* MAL. *Accipe ergo epigram-*

grammatarios, edentulos & salsos. Surgite, jam pueris vendit jentacula pistor. Cristatæq; sonant undique lucis aves. BEL. Istud de jentaculo citius mihi somnum excuteret, quàm clamores tui. MAL. Festivissime nugator, precor tibi felicem hunc diem. BELL. Et ego tibi faustam noctem, & bonum cerebrum, ut simul & dormire possis, & soluta oratione loqui. MAL. Quæso te, serio responde, si modo seriò potes unquam loqui: quam horam censes nunc esse? BEL. Medium noctis, vel plus paululum. MALV. In quo horologio? BEL. In medio domestico. MAL. Ubi tandem est horologium tuum domesticum? tu horologium unquam habueris, aut inspexeris, cui omnis hora est semper dormiendi, edendi, ludendi, studendi verò nunquam. BEL. Atqui hic ego habeo horologium mecum. MAL. Ubi? Ostende. BELL. In meis oculis, vide ut nulla vi aperiri possint, obdormi rursus obsecro, aut certè tace. MAL. Quid malùm, est carosis hæc seu verius lethargus & mors quædam? quamdiu putas nos jam dormisse? BELLI. Horas duas, vel ad summum tres. MAL. Ter ternas. BEL. Qui fieri istud potest? MAL. Gomezule, i curriculo ad solarium Franciscanorum, & contemplare quota sit hora. BEL. Apage solarium, cùm Sol nondum sit ortus. MAL. Ortus verò? aperi fenestram istam vitream: heus tu puer, ut verberet Sol hujus oculos suis radiis: plena sunt jam

Sole omnia, & umbræ minores. BEL *Quid tibi est rei cum ortu Solis, & occasu? sine illum priorem te surgere, cui majus est conficiundum iter diurnum. Gomezule, cursim intendito ad D. Petri, ibi aspicito & in horologio machinali quæ sit hora, & in gnomone.* GOM. *Utrumque sum intuitus In solario parum abest umbra à secunda linea. In horologio digitus indicat horam paulò plus quintam.* BEL. *Quid narras? aliud restat ergo agendum tibi, ut huc sistas mihi fabrum ferrarium ex vico lapideo, qui forcipe disjungat has palpebras tam adfixas, dic ei, revellendam esse è foribus seram aliquam, cujus sit amissa clavis.* GOM. *Ubinam habet?* MAL. *Iste verò seriò accerseret. Desine jam nugari, & surge* BEL. *Surgamus tandem, quando ita obstinasti animo. Vah, quàm es odiosus sodalis. Exuscita me Christe ex somno peccati ad vigiliam justitiæ, transfer me ex nocte mortis ad lucem vitæ: Amen.* MAL. *Feliciter tibi procedat hæc lux.* BEL *Et tibi hæc eadem & aliæ quàm plurimæ lætæ ac faustæ, hoc est, ut eam ita transigas, ne cujus virtutem lædas, neu quis tuam.*

Subucula. *Puer, adferto subuculam mundam: nam hanc jam totos sex dies gestavi. Hem arripe pulicem illum saltitantem. Omitte nunc venationem pulicum: quantulum erit pulicem unum in cubili hoc extinxisse?* MAL. *Quantum guttam unam aquæ Diliæ huic adimere.* BEL. *Imò verò mari*

ipsi

ipsi Oceano. Nolo hanc subuculam collari rugato, sed alteram illam plano. Nam rugæ hæ quid aliud sunt hoc tempore, quàm nidi aut receptacula pediculorum & pulicum? MAL. Inepte, existes repente dives, habebis pecus album, & pecus nigrum. BEL. Peculium numerosum magis, quam quæstuosum: & comites, quos malim semper videre in vicinia, quàm domi meæ. Iube famulam resuere latera hujus subuculæ, & quidem filo serico. GOME. Non habet. BELLI. Lineo igitur, aut laneo, aut etiam, si ita libet ei, sparteo. Nunquam famula hæc habet, quod est opus: quod verò non est opus, affatim: te verò Gomezule nolo ego esse divinatorem. Exequere mandatum meum, & renuncia: ne ariolèris quid sit futurum. Excute pulverem è fœminicruralibus concussu. Hinc purga diligenter muscario illo setaceo. Udones dato itidem mundos. Nam hi sunt jam exudati & pedore olidi, φυ, amove eos isthinc continuò, offendit me fœtor gravissimè. GOME. Vis interulam? BEL. Non, nam ex luce Solis colligo diem fore calidam, sed cedò mihi thoracem, illum dimidiis manicis serici gausapini, & tunicam simplicem fustadicam, cum vinculis vestiariis oblongis. MAL. Imò fustanicam. Quid isthuc rei est? quónam ire cogitas, ut tam ornes te præter morem tuum? præsertim quum sit dies profestus, & poscis ligulas devinctorias castrenses. BEL.

Fœminicruralia.

Udones.

Interula.

Thorax.

Tunica.

Et

Et tu cur induisti bombycinam levem recentem ab officina, cum habeas capripiliam & damascenam detritam. MAL. Dedi hæc resarcienda. BEL. Ego verò in hisce meis magis commoditatem specto vestitus quàm ornatum. Uncinuli isti & orbiculi sunt laxati. tu improbe, inconsideratè semper dissolvis. MAL. Ego potius utor globulis, & ocellis, quod est decentius, & minus in induendo & exuendo molestum. BEL. Non est idem omnium judicium in his, ut in reliquis omnibus. Pectorale hoc tunicæ condito in arcam, nec proferas tota æstate. Astrigmenta hæc strenuè sunt exarmata suis ferreis. Limbus hic est dissutus & discerptus, cura reficiendum. sed vide ne adsuantur deformes commissuræ. GOM. Non poterit id perfici ante sesquihoram. BEL. Adfige ergo acicula, ne pendeat: dato periscelides. GOME. Adsunt, calceolos cum crepidis longi obstraguli paravi tibi, pulvere bene excusso. CAL. Calceos potius exterge situ, ac nitida. MALVEN. Quid est ligula in calceo? de qua inter Grammaticos fuit controversia peracerba (ut solet de omnibus) dicendum ne esset ligula an lingula. BEL. Illa adsuitur calceis Hispanicis in summa planta, hic non habent. MA. Et in Hispania jam desuescunt apponere, calceatu Gallico. BEL. Accommoda mihi tuum pectinem eburneum. MAL. Ubi est tuus ligneus, & quidem Parisiensis? BELL. Non audisti me heri

Uncini. Orbiculi. Globuli. Ocelli. Pectorale. Astrigmenta. Limbus. Periscelides Calcei & crepidæ. Ligula. Pecten.

heri objurgantem Gomezulum? MAL. *Objurgare vocas tu ferire.* BEL. *Hoc illud erat: fregerat quinque aut sex radios pectinis ex densis, ex raris penè omnes.* MAL. *Legi nuper scriptorem quendam præcipere, ut eburneo pectine pectamus caput, quadragies ducto à brechmate ad verticem, & inde ad occipitium. Quid agis? hoc non est pectere, sed mulcere, cedo pectinem.* BEL. *Neque istuc est pectere, sed radere aut verrere. Credo habere te caput testaceum.* MAG. *Et ego te butyraceum, adeò non audes attingere.* BELL. *Vin' tu igitur, ut mutuo arietemus capita?* MAL. *Nolo tecum contendere insania, nec committam bonam mentem meam cum tua dementia. Ablue jam tandem manus & faciem: sed os potissimum, ut mundius loquaris.* BELL. *Utinam adeò citò animum perpurgarem, ut manus: date malluvium.* MAL. *Confrica paulò diligentius nodos istos manus, quibus hærent sordes densissimæ.* BELL. *Falleris, nam puto esse potius decoloratam pellem & rugatam. Abjice has malluvias Gomezule in cloacam illam, & cedò mihi reticulum, & pileum clavatum. Adfer jam ocreas.* GOME. *Itinerariásne?* BELL. *Non, sed urbanas.* GOM. *Vis cucullionem, an pallam.* BEL. *Sumus foras prodituri?* MAL. *Quid ni?* BEL. *Adfer igitur lacernam.* MAL. *Prodeamus jam tandem, ne amittamus è manibus deambulandi tempus.* BELL. *Duc nos*

Abluere.

Reticulum.

Pileus.

Ocrea.

Pallium.

II. Pars.

Christe

Christe per vias tibi gratas, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: Amen. O quàm formosa aurora, verè rosea, & (ut poëtæ vocant) aurea, quàm gaudeo me surrexisse: exeamus urbem. MALV. *Exeamus: nam ego hac tota hebdomade pedem porta non extuli, sed quo ibimus primùm, inde qua?* BEL. *Ad arcem, an ad mœnia Carthusiana?* MAL. *An potius ad prata divi Iacobi?* BEL. *Minimè illuc de manè, ad serum potius.* MAL. *Ad Carthusianos ergò per Franciscanos & Bistum, inde per portam Bruxellensem: tum redibimus per Carthusianos ad rem divinam. Ecce tibi Ioannium. Sis salvus Ioanni.* IOAN. *Et vòs plurimùm. Quid istuc est insolitum? tam benè manè surrexistis?* BEL. *Ego verò arctißimo somno eram consopitus: sed Malvenda hic clamando & tundendo avellit me è lectulo.* IOAN. *Rectè fecit: nam totum te reficiet ac recreabit hæc deambulatio. Eamus ad pomerium, ô admirabilem & adorandum artificem tantæ pulchritudinis, non immeritò vocatur opus hoc mundus, & à Græcis κόσμος, quasi ornatus & elegans.* MALV. *Ne contente deambulemus, sed lente ac molliter. Conficiamus quæso in hac mœniali ambulatione duo aut tria spacia, ut ociosius & liberius tam decoram speciem contemplemur.* IOAN. *Attende: nullus est sensus, qui non egregia aliqua voluptate perfundatur, oculi primùm:*

Descriptio Veris.
1. Visus.

mum: quæ varietas colorum? qui vestitus terræ & arborum? qui tapetes, quæ pictura comparari huic possunt? hæc sunt naturalia & vera, illa altera ficta & falsa. Non injuria vates ille Hispanus, Majum appellavit pictorem mundi. Iam aures, qui concentus avium, & potissimum lusciniæ? ausculta eam è salice, à qua (ut Plinius inquit) perfectæ Musicæ scientiæ modulatus editur sonus. animadverte accurate, & annotabis varietates omnium sonorum: nunc non interquiescit, sed continuo spiritu in longum æquabiliter, sine mutatione: nunc inflectitur. Iam minutius & concisius canit: nunc intorquet: Et quasi crispat vocem: nunc extendit, jam revocat, aliàs longos concinit versus quasi heroicos: aliâs breves, ut sapphicos: interdum brevissimos, ut adonicos. Quin etiam quasi Musicæ ludos & scholas habent. Meditantur aliæ juniores, versusque quos imitentur, accipiunt. Audit discipula intentione magna (utinam nos præceptores nostros pari) & reddit, vicibusq; reticent. Intelligitur emendata correctio, & in docente quædam reprehensio. Sed illos ducit natura recta, nos voluntas prava. Adde his, qui odor spirans undique, sive ex pratis, sive ex segetibus, sive ex arboribus, etiam ex ipsis agris cessantibus & squalidis. Sapor, quicquid ori admoveas, vel ex ipso aëre, qualis primi, & tenerrimi mellis.

II. Auditus.

III. Olfactus.

IV. Gustus.

MAL. *Hoc puto esse, quod à nonnullis audivi,*

apes consuesse mel suum colligere mense Majo ex cœlesti rore. IOAN. Ea fuit multorum opinio. Si aliquid vis dari tactui, quid mollius aut salubrius hac aura ubique spirante? quæ salutari spiritu per venas & universum corpus sese insinuat. Venit mihi nunc in mentem versuum aliquot Vergilii de Vere, quos utique cantillabo, si me potestis ferre voce mea non olorina, sed anserina: tametsi hanc malo, si non aliàs cygnus canit dulce, nisi fato suo proximus. BELL. Ego quidem ut pro me respondeam, vehementer eos versus aveo audire, qualicunque voce, modò etiam exponas eos nobis. MAL. Nec ego ab hoc dissentio. IOAN.

v. Tactus.

> Non alios prima crescentis origine mundi
> Illuxisse dies, aliúmve habuisse tenorem
> Crediderim: ver illud erat, ver magnus agebat
> Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri.
> Quùm primùm lucẽ pecudes hausere, virumq́;
> Ferrea progenies durum caput extulit arvis,
> Immissæq́; feræ sylvis & sydera cœlo.
> Nec res hunc teneræ possent perferre laborem,
> Si non tanta quies iret frigusq́; caloremq́;
> Inter, & exciperet cœli indulgentia terras.

BEL. Non satis intellexi. MAL, Ego, ut reor, multò minus. IOAN. Ediscite nunc eos, non aliàs intelligetis: sunt enim desumpti ex intima philosophia, ut alia vatis illius permulta. MAL. Quæramus ab Orbilio literatore, quem habemus

mus obvium. IOAN. *Imò est homo admodum obvius, salutemus modò, & sinamus abire hominem rabiosum & plagosum, ingentis supercilii, imbutum magis literis quàm eruditum : tametsi persuasit sibi seriò, se esse literatorum alpha. Cæterum diximus de corpore, quid porrò animum & mentem quantopere exhilarat, & excitat hujusmodi aurora? nullum est tempus ad ediscendum æquè idoneum, nullum ad perspiciendum, continendúmque quæ audias, quæque legas, nec aliud ad meditandum & excogitandũ, quocunque adplicaris animum. Non immeritò quidam dixit : Aurora gratißima Musis.* BEL. *Sed ego jam extimulor appetentia, redeamus domũ jentatum.* MAL. *Quid tandem?* BEL. *Panem, butyrum, cerasa, pruna cereola : quæ tantopere videntur nostris Hispanis placuisse, ut illorum nomine pruna omnia nuncupent. Vel si hæc non sint domi, decerpemus folia aliquot buglossæ & salviæ, quæ addamus butyro.* MAL. *Bibemus vinũ?* BEL. *Minimè vero, sed cervisiam, & quidem tenuißimam ex flava ista Lovaniensi : vel aquam puram & liquidam, haustam è fonte Latino, aut Græco.* ME. *Quem tu fontem Latinum vocas? quem Græcum?* BEL. *Illum, qui juxta portam est, Græcum solet nominare Vives : ulteriorem illum, Latinum. causas ipse reddet tibi, quùm illum convenies.*

Animus.

Nempe hoc] PRIOR PARS inchoatur versibus ex 3.

 Persii

Persii satyra · qui integri sic sunt :

> Nempe hoc assidue ! jam clarum mane fenestras
> Intrat, & angustas extendit lumine rimas.
> Stertimus, indomitum quod despumare Falernum
> Sufficiat, quinta dum linea tangitur umbra.

Indomitum] Metaphora à beluis. Domare enim propriè cicurare est. Indomitum autem Falernum per metaphoram dicitur vinũ merum, non lymphatum.

Despumare] Metaphora à musto seu vino recẽti, quod dum excoquitur, spumas agit.

Falernum] Synechdoche est speciei pro genere. Falernum enim vinum ponitur pro quolibet vino. Est n. Falernum vinum præstantissimum in Campania, ut ait Plin. lib. 14. cap. 6. Martialis ad Turcam : Scelus est jugulare Falernum, id est, vino aquam miscere.

Quinta] Periphrasis est horæ quintæ, quæ indicabatur in solario, cum gnomon quintæ lineæ umbram faciebat.

Satyricos] Mordaces. Satyra (ut ait Diomedes Grammaticus) poëma est procax & maledicum, ad perstringenda vitia comparatum. Vide Foquelium in Persium.

Epigrammatarios] Epigramma latinè inscriptio. Hinc epigrammatarius, qui epigrãmata scribit: ut Martialis, ex quo sequens distichon est.

Edentulos] Edentulus, qui non habet dentes. Hinc per metaphoram, placidus, non mordax. Salsus etiam per metaphoram dicitur pro urbano & faceto: sicut insulsus, pro inurbano & infaceto.

Aves] Periphrasis Gallorum gallinaceorum, qui cristati sunt, & diem cantu nunciant. Hinc Gallus ἀλέκτωρ, ab α privativa particula & λέκτρον, quia nos è lecto vocat.

Plus] Malim, paulo plus.

Habueris] subaudi, non est probabile.

Carosis] Κάρωσις & λήθαργος, Latinis veternus, die schlaff.

schlaffsucht: est morbus, in quo inexpugnabilis prope dormiendi necessitas est.

Solarium] Sonnenvhr.

Apage] à causæ efficientis remotione. Sublata causa, tollitur effectus. Sed nondum est ortus, nullæ ergo umbræ in solario.

Vmbræ] Locus physicus de umbris, quæ in ortu & occasu longissimæ, in meridie brevissimæ: intermedio tempore breviores aut longiores.

Cursim] Hic legendum est, vel cursum intendito, vel cursim contendito. D. Petri est ellipsis, subaudi ædē.

Machinali] Horologium machinale est, quod machinulis ferreis movetur, pulsuq; malleoli in tintinnabulo horas significat, ein schlagvhr. Gnomon autem stylus est sive manus, horas indicans: Item ferrum prominens in umbilico linearum in solari horologio. Ein zeiger. Sunt gnonomes etiam dentes jumentorum, ex quibus eorum ætas dignoscitur.

Digitus] Index, der zeiger.

Habet] Græcismus, ἔχει, pro habitat.

Obstinasti] Induxisti in animum, Melius.

Quantum] à pari. Dilia fluvius est Lovanii.

Oceano] Oceanus mare est, totam terram ambiens. Græcis sic dictus à celeritate, quod ocyus currat.

Collari] Mit disem gefäldletem kröß.

Rugæ] Metaphora: pro plicis. Ruga ein runtzel. plica ein falt. Ovidius.

Iamque meam faciem ruga senilis arat.

Peculium] Peculium priscis erat particula quædam gregis (unde etiam nomen est) quod patres suis filiis, domini suis servis industriæ exercendæ causa concedebant. Plutarch. in Publicola: τὰς οὐσίας ἄχρι νῦν ἀπὸ τῶν προβάτων πεκούλια καλοῦσι ῥωμαῖοι.

Sparteo] Plinius lib. 24. cap. 9. Genista vinculi usum prestat, gemise oder grundrosen/quasi Augusti rosę. Flores eius crocei apibus gratissimi. Dubito an hæc

sit quam Græci sparton appellavere, cum ex ea lina piscatoria apud eos factitari docuerim: & nunquid hanc designaverit Homerus, cum dixit naviũ sparta dissoluta. Semen eius, in folliculis phaseolorum modo nascens, purgat ellebori vice, drachma & dimidia pota in aquæ mulsæ cyathis quatuor jejunis. Rami similiter cum fronde in aceto macerati pluribus diebus & tusi, succum dant ischiadicis utilem, cyathi unius potu. Perunguntur eodem succo ischiadici addito oleo. Iustinus lib. ultimo in principio spartum & linum in Hispania frequens scribit esse. Plinius idem lib. 19. ca. 2. herbam facit sponte nascẽtem, & quæ non queat seri, juncumq; propriè aridi soli, uni terræ dato vitio. Namq; id malum telluris est, nec aliud ibi seri aut nasci potest. Carthaginensis Hispaniæ citerioris portio, montes quoq; sparto operit. Hinc strata rusticis eorum, hinc ignes facesque, hinc calceamina & pastorum vestis, Gellius lib. 16. cap. 4. refert Græcos magis cannabe & stuppa cæterisque rebus naves fuisse, & inde σπάρτα appellasse. Hinc Sparteus pro canabino, hänfin.

Arioleris] id est, divines. Sumtum ab ariolis, qui circa aras divinabant. Terentio usitatum est hoc verbum.

Muscario] Muscarium aliâs est quo muscæ abiguntur, ein fliegenwedel. Hîc autem muscarium setaceum, sunt scopæ è setis factæ ad purgandas vestes, kehrbürsten..

Udones] leine söcklein/ lintei socci.

Interulam] Interula, wüllenhembd. Indusium subuculæ proximum, quod per hyemem gestabatur.

Gausapini] Sericum gausapinum, samat. idem quod villosum: & heteromallum.

Fustadicam] Fustadica quibusdam pannus levis est, qui olim in Anglia texebatur. Bayfius in lib. de re vestiaria tunicam triplicẽ. Prima est ima, carni proxima, qua hodie linea utimur: vulgo camisia vel subucula,

cula. Athenæus lib. 13. ubi de Phryne scorto nobili, χιτώνιον ἐχέσαρκον, id est, tuniculam carni proximam vocat, ein Hembd. Secunda est media: quæ interula dicitur, cujusmodi ferè est tunica rubra aut texta, qua brumali tempore utimur. Tertia, quæ his superinduitur: vulgò etiam sagum: Gallis saye & hochethon, quasi ὁ χιτών.

Vinculis] id est, astrigmentis, nestel.

Devinctorias] vincula vestiaria oblonga.

Fustanicam] Fustanica vestis est, quæ ex gossipio fit, vulgò barchet/bomasin.

Bombycinam] Bombyces telas aranearũ more texunt, ad vestem luxumque fœminarum, quæ bombycina appellantur. Plinius. Idem ait Pollux in septimo ad Commodum: σκώληκές εἰσιν οἱ βόμβυκες, ἀφ' ὧν τὰ νήματα ἀνύονται, ὥσπερ ὁ ἀράχνης. De bombycibus vide Vidæ carmen. Vestis bombycina levis, ein seidẽ oder taffete kleid.

Recentem] das erst von dem Schneider ist kommen.

Capripiliam] A caprarum pilis: quæ vulgò schamlot/ à pilis camelorum, quasi Kamelot: qualis vestis fuit Joannis Baptistæ Matth. 3. Latinè undulata, ab undis in ea expressis.

Damascenam] Damasceni operis, à Damasco urbe Syriæ, Damast.

Ego verò] Finis est vestis commoditas & ornatus.

Vncinuli] Vncini, hafften oder männlein. Orbiculi, weiblein.

Laxati] ledig. Globuli, knöpfflein. Ocelli, löchlein.

Pectorale] brusttuch.

Periscelides] hosenbändel/ à περὶ & σκέλος, quia circa crura sunt.

Crepidis] Crepidæ, pantoffel. soleæ: dictæ à crepando. proverb. Ne sutor ultra crepidam. Terentius sandalium vocat: Utinam sandalio tibi diminui caput videam. Obstragulum, übergeschůh.

Ligula] Corrigia calcei, der riem.
Planta] Planta superior pars pedis est, der reyen.
Hoc non est] à diversis.
Neque istuc] Rursum à diversis.
Arietemus] Arietare est capita collidere instar arietum, Mit den köpffen gegeneinander lauffen.
Committam] ich wil nicht an dich wagen.
Mundius] bescheidener.
Malluvium] handbecken. ¶ Malluvias] handwasser.
Reticulum] hauben/ quo capillus continetur. Baysius.
Clavatum] aureis vel argenteis clavis ornatum, mit spangen.
Itinerarias] Räißstifel. ¶ Urbanæ, Kniestifel.
Cucullionem] Cucullio, pallium Hispanicũ, ein Spanische kapp. Palla, ein hußeckh/ vestis longa ad terram usque promissa. Virgilius.

Pro longæ tegmine pallæ.

Lacernam] Lacerna pallium itinerarium quibusdam, ein Räißmantel. Vide prolixè de illa Baysium de re vestiaria.
Prodeamus] ALTERA PARS Dialogi est descriptio deambulationis: quæ continet insignem Verni temporis descriptionem.
Poëtæ] intelligit Homerum & Hesiodum, à quibus ἠὼς sæpe dicitur ῥοδοδάκτυλος & χρυσέη.
Bistum] Videtur legendum Xystum. Est autem Xystus porticus lata ad hybernam exercitationẽ. Ibi enim athletæ per hyemem exercebantur. Vide Vitruvium lib. 6. cap. 10. & lib. 5. cap. 11. Grapald. lib. 1. cap. 1. Cœlium lib. 21. cap. 18.
Pomœrium] zwinghof. Pomœrium, verbi vim solam intuentes, postmœnium interpretantur esse. Est autem magis circamœrium. Romani enim spacium, quod neque habitari neque arari fas est, non magis quod post murum esset, quàm quòd murus post id, pomœrium appellant, Livius lib. 1. V. C.

O admir] Exclamatio: & locus ab etymologia seu notatione.

Spatia] Lasset uns ein mal oder drey umb die Statt-mauren gehen.

Speciem] Mundi & Veris.

Attentio] Descriptio VERIS per distributionem quinque sensuum, & subjectorum illis.

Oculi] Primus sensus Visus: cujus subjectum Color: cui propriè varietas tribuitur.

Huic] Cum hac. A minore: quasi dicat, nulli tapetes, nullæ picturæ comparari possunt.

Vates] Poëta, Joannes Mena.

Jam aures] Secundus sensus, Auditus; cujus subjectum Sonus.

Plinius] lib. 10. cap. 19.

Concisus] gebrochen.

Aliàs] Distributio versuum.

Sapphicos] Hendecasyllabos.

Adonicos] ex dactylo & spondæo.

Adde his] Tertius sensus olfactus: cujus subjectum Odor.

Sive] Anaphora & distributio.

Sapor] Quartus sensus Gustus, cujus subjectum Sapor.

Aëre] Apes mella ex rore aëris, siderum exortu potissimum & arcus cœlestis incubitu contrahunt, ait Aristot. lib. 5. c. 22. Plinius lib. 11. cap. 12. Venit hoc, ait, ex aëre, & maximè siderum exortu: præcipueq; ipso Sirio exsplendescẽte fit, nec omnino prius Vergiliarum exortu sublucanis temporibus. Itaq; cum prima aurora folia arborũ, melle roscida inveniuntur: ac si qui matutino sub dio fuêre, unctas liquore vestes, capillumq; concretum sentiunt: sive ille est cœli sudor, sive quædam siderum saliva, sive purgantis se aëris succus. Utinamq; esset purus & liquidus, & suæ naturæ, qualis defluit primò. Nunc verò è tãta cadens altitudine, multumq; dũ venit sordescens, & obvio terræ halitu infectus: prætetea e fronde ac

pabulis potus, & in uterculos congestus apum (ore enim vomunt) ad hæc succo florum corruptus & alveis maceratus, totiesq; mutatus, magnam tamen cœlestis naturæ voluptatem affert.

Aura] Aura, ut Plinius lib. 1. ait, est aër leviter motus, ein lüfftlein.

Virgilii] Lib. 1. Georgicorum.

Olorina] id est, cygnea. Proverb. Cygnea cãtio. & Anser inter olores.

Hanc] anserinam.

Orbilio] Orbilius ludimagister fuit plagosus, vnde per synecdochen de quovis plagoso ludimoderatore dicitur. Vide Suetonium Tranquillum in libro de Grammaticis. Literator autem Græcis γραμματιστής, est homo magis imbutus literis quàm solidè eruditus aut literatus.

Obvius] Ambiguitas est. Obvius enim modò dicitur is qui occurrit in via: modò is qui est facilis & gratus.

Supercilii] Supercilium pro superbia & arrogantia sumitur. Hinc proverbia, supercilium attollere, ponere, contrahere.

Imbutum] tinctum. Metaphora est.

Alpha] id est, principem. Proverb. Alpha & ω: & Alpha penulatorum.

Cæterũ] Transitio est à corporis sensibus ad animum.

Aurora] Hesiodus ait auroram tertiam partem operis sibi vendicare: ἠὼς γὰρ τ' ἔργοιο τρίτην ἀπομείρεται αἶσαν. Diluculum totius diei pars optima.

Perspiciendum] inveniendum.

Continendum] memoria conservandum.

Ulteriorem] Proximior Grecus est, quia Græca lingua fontibus proximior, Latina longius petita est.

D O M V S.

Iocundus, Leo, Vitruvius.

In

In hoc dialogo describit totam domum, ejusq; singulas partes, per locum Logicum distributionis totius in partes. De singulis vide Vitruvii libros de Architectura & Grapaldum.

Personæ inter se colloquentes fuerunt insignes architecti. Vitruvius antiquus autor est: reliqui duo recentiores sunt. Ioannes Iocundus Veronensis cum alia, tum quædam non inelegantis ingenii monumenta in commentarios Iulii Cæs. reliquit. Baptista Albertus Leo eadem laude excelluit.

IOCVND. *Est tibi notitia cum insulario amplæ atque elegantis hujus insulæ?* LEO. *In primis, & est assecla patris mei admodum propinquus.* IOC. *Rogemus eum, ut nobis eam omnem patefaciat: nam ferunt nihil fieri posse amœnius nec delectabilius.* LEO. *Adeamus, pulsemus fores tintinnabulo, ne irrumpamus inexpectati. Atat.* VITRV. INSVLARIVS. *Quis isthic est?* LEO. *Ego sum.* VITRV. *O salve multum pusio dulcißime, unde tu nunc?* LEO. *E ludo.* VITRV. *Qua igitur gratia huc?* LEO. *Sodalis hic meus & ego vehementer cupimus has ædes visere.* VITRV. *Nunquam spectasti?* LEO. *Non totas.* VITRV. *Ingredimini. Heus puer, adfer mihi claves ostiorum domus. Primùm hoc est vestibulum, patet semper interdiu, absque janitore, quod nec intra domum est, nec tamen extra, noctu clauditur. Contemplamini portam magnificam, valvas è robore, munitas ære, utrunque limen, & infernum & supernum, ex marmore alabastrite. Olim Hercules solebat præfigi*

Vestibulum.

Porta.

Limen.

ostio domus, ille ἀλεξίκακος*: hic e[st] Christus, verus Deus, nam Hercules erat crudelis homo, & maleficus: hoc custode nihil mali ingredietur in ædes.* IOCVNDVS. οὐδὲ ἓν δεσπότης αὐτός. *VITRV. Quid dixit Græcè?* IOCVND. *Cur tam multi ingrediantur mali?* VITRV. *Etiamsi mali ingrediuntur, nihil tamen inferunt mali.* LEO. *Non utimini cardinibus?* VITRV. *Desiit esse mos apud quasdam nationes. Sequitur*

Ostium. *ostium atrii, quod atriensis servus custodit, præcipuus in familia, ut mediastinus extremus.*

Atrium. *Tum atrium spaciosum ad deambulandum, multæ atque variæ in eo picturæ.* IOCVND. *Quænam quæso?* VITRV. *Illa est cœli facies ichnographica: illa terræ & maris orthographica: illa orbis nuper Hispanis navigationibus aperti sciographica: in tabella illa est Lucretia se interficiens.* IOCVND. *Quid quæso dicit? nam moriens, ut videtur, loquitur.* VITRV. *Multæ hoc mirantur, quia non cuique tantum dolet.* IOCVND. *Intelligo quid dicat.* LEO. *Quid sibi vult tabella illa tam variè delineata?* VIT. *Ea est graphis hujus ædificii: reduc à tabula hac velum.* IOC. *Quid hoc est rei? vetulus sugens papillam fœminæ?* VIT. *Non legisti exemplum hoc apud Valerium Maximum, titulo de Pietate?* IOC. *Legi. quid dicit illa?* VIT. *Nondum tantum rependo, quantum accepi.* IOCVN. *Quid ille?* VITR. *Iuvat genuisse. Ascendamus*

hac

has scalas cochlides, singuli gradus lati, ut cernitis, ex singulis sunt saxis marmoris Basaltis. Hæc prima contignatio, habitatio est domini. cœnaculum superius hospitale est: non quod herus meus faciat cœnaculariam, quod absit: sed paratum est hospitibus amicis, ornatum, semper instructum & vacuum, nisi cum adsunt hospites. Hoc est triclinium. IOC. Bone Christe, quæ fenestræ speculares, quàm scitè depictæ pictura sciographica? qui colores, quàm vividi? quæ tabulæ, quæ signa, quæ coassatio? Quænam est historia vitrearum? VITR. Fabella Griselidis, quam aptè & ingeniose confinxit Ioann. Bocatius, sed herus meus decrevit addere rei fictæ rem veram, de Godelina Flandrensi, & Catharina Angliæ regina, quæ superat inventum Griselidis. Signa sunt, primum illud Apostoli Pauli. IOC. Quod est lemma? VIT. O quantum tibi nos debemus, tu Christo! IOC. Quid ipse loquitur? VIT. Gratia Dei sum quod sum: & gratia Dei in me vacua non fuit. Alterum illud est Mutii Scævolæ. IOC. Nec is est mutus, etiamsi Mutius: quid mutit? VITR. Non incendet, inquit, me hic ignis, quoniam alius major ardet intus. Tertium signũ est Helenæ, titulus est: Utinam fuissem semper talis, minus nocuissem. IOC. Quid signat cæcus ille seniculus recalvaster, indice ad Helenam verso? VIT. Homerus est, dicit Helenæ: Quæ malè tu fecisti, ego benè cantavi. IOC. En lacunar est deaura-

Scalæ cochlides. Contignatio. Cœnaculũ. Triclinium. Fenestræ. Signa. Lacunar.

auratum admistis margaritis. VITRV. *Margaritæ quidem sunt, sed precii exigui.* IOCVN. *Quo spectant fenestræ?* VITRV. *Hæ in hortos, illæ in impluvium. hæc est diæta, seu æstiva cœnatio, en vobis cubiculum & conclave. Cubiculum ornatum est tapetibus, pavimento contabulato, storiis tecto: & imagines aliquot divæ virginis, Christi servatoris. Illæ alteræ sunt Narcißi, Euryali, Adonidis, Polyxenæ, qui dicuntur fuisse formosißimi.* IOCVN. *Quid scriptum est in limine superiore ostii?* VITRV. *Recipe te in portum tranquillitatis adfectuum.* IOCVND. *Quid in interiore poste forium?* VITRV. *Ne induxeris in portum tempestatem. In conclavi illo clauso adservantur ferè prima utensilia. Hoc alterum membrum est Hybernum: vides omnia obscuriora & magis tecta: tum hypocaustum.* IOCVND. *Amplius mea sententia, quàm pro cœnatione.* VITRV. *Non animadvertis etiam cubiculum interius eodem vaporario excalfieri?* IOCVND. *Dicunt cubicula esse calidiora, ubi nullum sit fumale.* VITRV. *Non solent esse in æstuariis.* IOCVND. *Quæ est illa camera, tam eleganter fornicata?* VITRV. *Lararium, seu sacellum, ubi agitur res divina.* IOCVND. *Ubi Latrina?* VITRV. *Supernè in granario habemus foricam, ne oleat: in cubiculis enim scaphiis utitur herus meus, & trullis, & matulis.* IOCVND. *Turriculæ illæ, & pyramides, & pilæ*

Diæta. Cubiculum. Hypocaustum. Lararium. Latrina. Turriculæ.

& indices ventorum, omnia qua venustate, quàm admirabili arte? VITRV. Descendamus: hæc est culina, hoc promptuarium, hæc cella vinaria, illa penuaria, in qua mire infestamur rapacitate furum. IOCVND. Qua tandem est huc furibus ingressus? omnia video probè clausa, & fenestras cum clathris ferreis. VITRV. Per rimulas & foramina. LEO. Mures ergo sunt & mustelæ, quæ vobis universum penum diripiunt. VITRV. Illud est posticum domus, clausum semper duabus seris: adfixa & pensili, nisi cum adest dominus. LEO. Cur fenestræ hæ non habent cancellos? VITRV. Quoniam raro aperiuntur: spectant enim ad angustum angiportum, ut cernis, & obscurum: raro quisquam hic aßidet, aut profert caput: ideò & clathrare eas statuit herus meus. LEO. Quibus clathris? VITRV. Fortasse ligneis, nondum est certum: interea repagulum hoc sufficit. IOCVND. Quàm amplæ columnæ, & porticus plena majestatis. Vide ut Atlantes illi & Caryatides specimen præferunt enitentium, ut fulciant ædificium, ne ruat, quum nihil agant. LEO. Tales sunt multi, qui magna videntur præstare, quum ociosi & segnes vivant: fuci, fruentes alienis laboribus. Sed quænam est domus illa inferior, huic adjuncta, tam malè materiata & rimosa. VITRV. Est vetus ædificium: quod quia ducebat rimas, & vitium faciebat ingens, herus meus decrevit hanc alteram

Culina.
Promtuarium.
Cella.
Posticum.
Porticus.
Atlantes.

ram à fundamentis erigere: illa nunc nidulatio est avium, & habitatio murium: sed breviter eam demoliemur.

Insulæ] Insula est terra mari tota circumdata, quasi in salo, id est, mari posita. Hic autem significat domum solam positam, & circum circa ab aliis liberam: ἡ διάκλειστος καὶ περιάμφοδος οἰκία. Insulæ (inquit Festus) dictæ proprie, quæ non conjunguntur communibus parietibus cum vicinis, circuituq; publico aut privato cinguntur, à similitudine videlicet earum terrarum, quæ fluminibus ac mari imminent, suntq; in salo. Hinc insularius, à Gallis concierge: cujusmodi homines esse solent in domibus principum, quæ insulæ plerunq; sunt, id est, à privatorum domibus distinctæ: quo verbo Pomponius I.C. usus est in l. si ita. De usu & habit.

Asseclæ] Pedissequi, lacken.

Atat] Sonus est ferientis januam. Terentio usitatum.

Nunc] Triplex hic ellipsis est verbi venis, venio, venis.

Vestibulum] Vestibulum ante januam locus est, ubi qui admitti cupiunt, nec in via stant, nec intra ædes sunt. Ovidius in Fastis sic dictum scribit, quod Vestæ Deæ ignis seu foci sacra fuerit, ein vorschopff.

Janitore] Janitor à janua dicitur custos januæ seu portæ, ein Thürhüter. At portitor à portu dicitur, qui portum custodit.

Valvas] die flügel.

Robore] aichen holtz.

Munitas] beschlagen.

Alabastrite] Alabastrites marmoris genus, è quo pyxides odoratis unguentis fiunt. Sic dicitur quasi τοῦ λαβέσθαι ἀδύνατον, propter lævorem. Plutarch. in Alexandro. Herodian. lib. 3. Matth. cap. 26.

Ἀλεξίκακος] Depulsor & averruncator malorum, qui diras arcet & amolitur, Epithetô est Herculis & Apolli-

pollinis : qui ideò etiam ἀποτροπαῖοι dicuntur. Vide Macrobium.

Οὐ] Nec igitur dominus ipſe. Jocus à Diogene ſumtus. Vide proverb. ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω.

Cardinibus] Thürangel. proverb. Cardo rei: id eſt, id in quo vertitur totum negotium.

Atrienſis] Varia olim genera ſervorum fuerunt. Alii enim erant ſervi ordinarii, alii vicarii, alii atrienſes, alii mediaſtini, alii inſularii, alii focarii, alii veteratores, alii novitii, alii calones, alii lixæ, alii aquarii, alii ſupellectarii, alii hoſtiarii, alii ſcoparii, alii ſaltuarii, alii topiarii, qui ruri effingebant arbuſculas & virgulta ductilia in varias formas figuraſq;. Athenæus lib. 6. varia apud Græcos nomina ſervorum commemorat. Vide Ræ vardum lib. 5. Vario. ca. ult.

Ichnographica] Vide Vitruvium lib. 1. cap. 2.

Ichnographia eſt veſtigium operis in plano. Orthographia erecta frontis imago.	Vel eſt	Areæ / Frontis	deformatio
Sciographia ſeu ſcenographia frontis & laterum abſcedentium.		Univerſi tecti, id eſt, ſcenæ	& adumbratio.

Sic cœli facies ichnographica dicitur lineis duntaxat in plano depicta. Terræ & maris orthographica, deſcripta in ſolido globo. Novi orbis ſcenographica, ſuis locis, fluviis, urbib. & tractib. diſtinct. Mott.

Lucretia] Vide Livium lib. 1. ab V. C. Ovid. lib. 2. Faſtorum.

Graphis] linearis deſignatio ſeu deſcriptio operis futuri: quam architecti triplici illa diſpoſitionis ſpecie deſcribere ſolent. Vide Bud. in Pandectas.

Valerium] Lib. 5. cap. 4. de Cimone.

Juvat] Delectat me, gaudeo.

Scalas] Scalæ à ſcandendo dicuntur, quòd his ad altiora ſcandamus; Gradus quoq; è ligno, marmore, laterculis

culis sunt, per quos ad superiora ædium ascenditur, autore Marcello. Virg. Postesq; sub ipsos Nituntur gradibus. Scalæ verò, quibus per gyrum ascendimus, a cochlearum forma cochlides dicuntur. Grapald. lib. 2. cap. 1.

Singulis saxis] von gantzen stücken.

Basaltis] Basaltes marmor est ferrei coloris & duriciei, ein harter eisenfarber marmelstein. Plin. lib. 36. cap. 7. Grapald. lib. 1. cap. 1.

Contignatio] Contignatio, vulgò solarium, sive strata sit cemento, laterculisve, sive non strata, ein gaden oder soler. Grapald. lib. 2. cap. 1.

Cœnaculum[Cœnaculum locus ubi cœnamus, ut autor est Varro, & propriè in superiore ædium parte: cœnatio verò, ut diætæ, in ima. Nam & superioris domus universa cœnacula dicta. Vnde cœnacula, inquit Pompeius, ad quæ scalis ascenditur. Et Suetonius cœnaculum meritorium dixit mercede conductum. Nam superiora inquilinis locabantur. Unde cœnaculariam sæpè in Pandectis dicũtur facere, qui cœnacula locant: & hîc cœnaculum hospitale, quod pro hospitibus servatur, gasthauß/gastkammer.

Triclinium] Triclinium idem est quod cœnaculum, in quo tribus thoris mensisve stratis comedebant, præcipuè convivio accepti, Grapald. lib. 2. cap. 3. Vide etiam Vitruvium, & in eum Philandrũ. Lipsius autem lib. 3. antiq. lect. sic ait: In cœnaculo mensa collocabatur rotunda, humilis: circum mensam tres, ut plurimum, lecti erant, ex quo triclinii nomen. Vel duo etiam, quod Plautus biclinium, posterior ætas à Vespasianorũ imperio Sigma vocare cœpit, quia in formam hemicycli aut lunatæ testudinis extructum esset. Martialis.

> Aspice lunata scriptum testudine sigma,
> Octo capit, veniat quisquis amicus erit.

Fenestræ] Fenestræ speculares sunt, per quas sine aëris nocu-

nocumento lux admittitur, cum transluceant, glaß-fenster. Sunt enim & ligneæ fenestræ, hültzerne läden. Dicuntur autem speculares, quia olim è speculari lapide translucido fiebant: nunc è vitreis orbibus vel tessellis instar rhombi sectis & plumbo junctis fiunt.

Sciographica] Encaustica hîc intelligit, geschmeltzet.

Coassatio] id est, axium seu tabularum sectilium contextus & junctura, quasi coaxatio, nisi obstaret ranarum clamor, ein getäfer.

Vitrearum] id est, fenestrarum.

Bocatius] in Decamerone seu libro centũ novellarum.

Lemma] id est, inscriptio. Est & Geometrarum vocabulum. Latinè sumtum, λῆμμα à λαμβάνω.

Gratia] 1. Corinth. 15. Χάριτι θεοῦ εἰμὶ ὅ εἰμι: καὶ ἡ χάρις αὐτοῦ ἡ εἰς ἐμὲ, οὐ κενὴ ἐγενήθη.

Scævolæ] Livius lib. 2. Martial. lib. 1. Val. Max. lib. 3. cap. 3. Pueri ediscant hos versus Martialis.

Dum peteret regem decepta satellite dextra.
Injecit sacris se peritura focis.
Sed tam sæva pius miracula non tulit hostis,
Et raptum flammis jussit abire virum.
Urere quam potuit contemto Mutius igne,
Hanc spectare manum Porsena non potuit.
Major deceptæ fama est & gloria dextræ:
Si non errasset, fecerat illa minus.

Homerus] Homerus cæcus fuisse dicitur & calvaster. Vide Plutarch. in ejus vita. De Helena vide Isocratem in Encomio Helenæ, Virgilium & Homerum.

Lacunar] Lacunar seu laquearium est triclinii seu cubiculi pars superior, die bünne. Horatius lib. 2. Carm. ode 18.

Non ebur, neque aureum
Mea renidet in domo lacunar.

Juvenalis. Doctus spectare lacunar,
Doctus & ad calicem vigilanti stertere naso.

Vide Plin.lib.35.cap.11. Grapald.lib.2.cap.3.

Margaritis] Margaritæ, perlin/nec gemmæ,nec lapilli sunt : quia concha apud rubrum mare & crescit & coalescit. Vide l.& si non sunt.§, fin. De aur. & arg. leg. Plinium lib.9.cap.35. Ammianum Marcel.lib. 23. sub finem. De piscatione seu captura concharum (quas Arrianus κολυμβήσεις vocat, quia urinatione fiunt) vide Ludovicum Vartomannum lib.3. cap. 2. De margaritæ conceptu & incremento vide pulchra quædam apud Athenæum lib.3. quæ in nostra quoque Physica habes lib.33.

Impluvium] Impluvium locus in ædibus, quà implucre imber potest, ein kleins höflin. Grapald.lib.1. cap.2. Terentius: decidit anguis per impluvium.

Diæta] Vox est Plinio juniori usitatissima hac significatione : alias significat rationem victus. Sic Plato in Timæo jubet παιδαγωγεῖν διαίταις, id est, diæta seu tenui victus ratione moderari corpora,nec præter fatum majores morbos pharmacis accersere. παιδαγωγεῖν δεῖ διαίταις, καθ᾽ ὅσον ἂν ᾖ τῷ σχολὴ ἀλλ᾽ οὐ φαρμακεύοντας κακὸν δύσκολον ἐρεθιστέον.

Tapetibus] Tapetes tegmina sunt variis picta coloribus & figuris : unde beluata tapetia,à beluis quæ in his texuntur. Virgilius :

Instratos ostro alipedes,pictisque tapetis.

Est enim declinationis parisyllabæ & imparisyllabæ.

Pavimento] Pavimentum dictum est à verbo pavire, quod ferire significat, quia fiebant è lapidibus & testulis bene tusis addita calce. Pavimentum testellatum dicitur, quod tessellis, id est, parvis quadratis lapillis intextum est. Hinc illud apud Ciceronem in oratore ad Brutum de Albutio :

Quàm lepidè lexes compostæ, ut tesserulæ omnes,
Arte pavimento atque emblemate vermiculato.

Vide Grapald.lib.2.cap.1.

Storiis] Storia vel storea, teges, matta, ein matz : qua tegitur

tegitur pavimentum. Cæs.lib.2. de bello civili, storias ex funibus anchorariis ex turri suspendit in oppugnatione Massiliæ, contra hostium tela atq; tormenta, quibus tecti milites turrim construebant.

Narcissi] De Narcisso, in florem sui nominis mutato, vide Ovid. lib. 3. Metamor. & Lucianum in dialogis. De Euryalo vide Virgil. lib. 9. Æneid. De Adonide. Vide Ovid. lib. 10. Metamorph. Theocritum Idyl. 15. & in Epitaphio Adonidis. De Polyxena filia Priami regis Trojanorum, à Græcis immolata ad Achillis tumulum, vide Ovid. lib. 13. Dictym. lib. 5. Philostratum lib. 4. de vita Apollonii. Eurip. in Hecuba. Calab. lib. 14.

Prima] Hæc vox mihi suspecta est: nisi sumas prima pro præcipuis & iis quæ conservantur donec usus illa poscat.

Utensilia] Haußrath.

Membrum] id est, altera pars domus.

Hypocaustum] Græca dictio est, à succedendo derivata: ὑπὸ & καίω. Latinis vaporarium & æstuarium, ein stuben mit einem ofen. Papinius in sylvis.

> Ubi languidus ignis inerrat
> Ædibus, & tenuem volvunt hypocausta vaporem.

Lararium] Lares dii domestici, penates etiam dicti. De quibus Ovid. lib. 2. & 5. Fastor. Plutarch. in quæstionibus. Hinc Lararium sacellum domesticum. Lampridius scribit Alexandrum Cæsarem in larario Christum & Abrahamum habuisse.

Latrina] Latrina locus est privatarum sordium: à latendo dictus. Foricæ verò loca publica sunt, in quibus licet omnibus ventrem exonerare. Nam foria stercora dicuntur, præcipuè liquidiora, ut est apud Pompeium. Grapald. lib. 1. cap. 6.

Scaphis] Scaphium vasculi species est: Meminit ejus Pollux in decimo, ubi agit de necessariis ad secessum: & erat mulierum, quemadmodum lasana & ἀμὶς

virorum, & οὐρήνη, quam nos urinal, οὐρανήδρον vocat idem Pollux, Matella virorum erat, cujus meminit Martialis,

Dispeream si tu Pyladi præstare matellam
Dignus es. Vide Bayfium de vasculis.

Pyramides] Pyr ignis est Græcis, hinc Pyramis, id est, meta, columna, quæ instar ignis sursum fastigiata est. Juxta Memphim in Ægypto adhuc Pyramides visuntur, quarum meminit Plinius lib. 36. cap. 12. & Martialis.

Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis.

Pilæ] Pila à columna differt. Illa enim quadrata est, hæc rotunda.

Indices] Sunt vexilla ex laminis, ędium fastigiis imposita, quorum circumactu ventorum flatus indicatur.

Promtuarium] A promendo dictum, **ein speißkammer.**

Mustelæ] **Wiselin.**

Posticum] Ostium in posteriore ædium parte. Horat.
Atria servantem postico falle clientem.

Sera] Sera est, qua admota ostia clauduntur, **ein schloß.** Sera affixa, **ein schloß das angehefftet ist.** Sera pensilis, **ein malenschloß.**

Repagulum] quod januæ aut foribus aut fenestris objicitur, **ein rigel.**

Atlantes] Atlantes signa sunt virili figura, quæ in ædificiis mutulos aut quid aliud sustinent: ab Atlante, quem mundum fulcire finxit vetustas. Caryatides sigilla consimilia Atlantibus, sed muliebri specie: à Carya Peloponnesi oppido. Vitruvius lib. 1. cap. 1.

Fuci] Fucus insectum, quod apum opera devorat. Virg.
Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent.

Rimosa] Alii ruinosa. Vitium facere, rimas agere, idem est, quod ruinosam esse, **baufällig sein.**

Historica quædam hujus Dialogi.

Mutius nobilis Rom. adiit castra Porsenæ regis, Romanos

manos tum obsidentis, ut regem ipsum occideret: sed cum eum non nosset, satellitem purpura indutum pro rege occidit. Propter quod compræhēsus Mutius, à rege jussus est conjuratores si qui essent indicare. Mutius verò, ut ostenderet se nullo supplicio vinci posse, & insuper pœnam de dextra sua exigeret, quòd in cæde aberrasset, ipsam igni impositam in conspectu regis adussit. Unde postea Scævola cognominatus est: quòd sinistra manu uti cogeretur: composita voce ex Græco & Latino, σκαιὸς enim lævus est, & vola cavitas manus.

Helena filia Jovis & Ledæ fuit: quæ ob formæ elegantiam, cum adhuc esset puella, à multis amata est. Adulta verò Menelao Lacedæmonum regi nupsit. Paris autem, Priami R. filius, nemini quoque forma cedens, illius pulchritudine illectus, Spartam navigavit: ibique Helenam absente Menelao, à quo prius benignè fuerat exceptus, rapuit ac secum Trojam abduxit: unde bellum Trojanum exortum est: de quo Homerus in Iliade.

Narcissus adolescens formosissimus, à plurib. Nymphis adamatus, potissimum ab Echo Parnassi nympha: quas omnes cum aspernaretur, tandem sua ipsius forma captus est. Nam cum venatu fessus divertisset ad fontem, & in eodem perinde ac speculo seipsum vidisset, ratus unam earum, à quibus prius amabatur, nympharum, juxta fontem amoris desiderio extabuit, tandemque nympharum commiseratione in florem sui nominis commutatus est.

Euryalus nobilis Trojanus fuit, qui capta Troja cum Ænea in Italiam venit. Ejus fidus socius fuit Nisus: itaque inter paria verorum amicorum numerantur.

Adonis filius Cinaræ Cypriorum regis, à Venere ob formæ elegantiam summè adamatus, quem in Idalio nemore venantem primo ætatis flore aper occidit. Venus amasii miserta, post multas lacrymas eum in purpureum florem mutavit.

Polyxena filia Priami & Hecubæ formosissima, cujus amore captus Achilles, pacem promisit Trojanis, si eam haberet uxorem: Quod cum impetrasset à Priamo, venissetq; cum illa in templum Apollinis ad contrahendum matrimonium, ibidem interfectus est à Paride. Quare Pyrrhus Achillis filius in ultionem patris sui interfecti, Polyxenam, velut auctorem mali, jugulavit ad tumulum ipsius Achillis.

SCHOLA.

Tyro, Spudæus.

In hoc dialogo Schola describitur per sex partes, ut sunt doctores, honores, horæ docendi & repetendi, libri, bibliotheca, disputatio. Nomen Tyronis est, pro rudi & novitio, metaphora sumta à militibus novis & rei bellicæ adhuc imperitis: quibus opponuntur veterani. Spudæus Græcis est diligens & industrius, nomen studioso dignum.

TYRO. *Quàm elegans Gymnasium, & magnificum! haud esse in Academia hac reor ullum præstantius.* SPUD. *Rectissimè judicas. Adde etiam, quod magis ad rem facit, nec alibi esse eruditiores magistros, aut prudentiores, quique majore dexteritate tradant doctrinam.* TYRO. *Oportet igitur magna hic fieri disciplinarum operæ precia.* SPUDAEUS. *Et quidem magnis compendiis discendi.* TYRO. *Quanti docent?* SPUD. *Amove te hinc ocyus cum interrogatione ista tam prava, tamque importuna: in re tanti momenti inquirendum est de mercede? nec ipsi, qui docent, paciscuntur: nec*

nec discipulos convenit id vel cogitare. Ecquod precium potest esse par? nunquamne Aristotelicum illud fando audivisti? Diis, parentibus, & magistris, parem gratiam non posse rependi. Deus creavit totum hominem, parens genuit corpus, magister format animum. TYRO. *Quid docent isti, & quàm diu?* SPVD. *Habent sua singuli auditoria separata, & sunt doctores varii. Alii prima elementa artis Grammaticæ laboriosè atque ærumnosè pueris toto die ingeminant: alii penitiora tradunt artis, alii rhetoricen, dialecticen, & reliquas disciplinas enarrant, quæ liberales seu ingenuæ dicuntur.* TYRO. *Cur eo nomine?* SPVD. *Quia illis decet unumquemque ingenuum imbui. Contrà, quæ sunt illiberales, circumforaneæ, sordidæ, quæ vel labore corporum, vel manibus exercentur, servis potius congruunt, & hominibus qui ingenio parum valent. In istis sunt alii tyrones, alii batalarii.* TYRO. *Quid istuc verbi est?* SPVD. *Et tyrones, & batalarii, ex militia sunt nomina desumpta. Tyro, vetus est verbum, de eo qui in militia exerceri incipit: batalarius Gallico nomine dicitur is miles, qui jam semel prælio (quod illi batalam vocant) interfuit collatis signis, & manum conseruit cum hoste: ita in palæstra literaria batalarius cœpit nuncupari Lutetiæ, qui publicè de arte quapiam disputasset. Hinc designantur doctores, quos à licentia*

I. Doctores.

II. Gradus seu honores.

Tyro.

Baccalaureus.

Licentiati. Doctores.

Licentiatos appellant, melius designati dicerentur: postremo docturam adipiscuntur, imposito in celebritate Academiæ pileo, ut quasi donetur libertate, & fiat emeritus. Is est hic supremus honor, & summus dignitatis gradus. TYRO. *Quis est ille in tanto comitatu, quem clavarii præcedunt cum clavis argenteis?* SPUD. *Is est Rector Academiæ: multi eum adsectantur officii gratia.* TYRO. *Quoties in die docentur pueri?* SPUD. *Aliquot horis: una pene antelucana, duabus matutinis, & duabus pomeridianis.* TYRO. *Tam diu?* SPUD. *Ita fert mos, & vetus Academiæ institutum, quin & discipuli duabus horis, quæ à magistris acceperunt, retractant & recolunt, & quasi mansum cibum ruminant.* TYRO. *Tantis clamoribus?* SPUD. *Nunc se exercent.* TYR. *Ad quidnam?* SPUD. *Ad discendum.* TYRO. *Imò verò ad clamandum: videntur enim non disciplinam meditari, sed præconium. Et ille alter planè furit: nam si haberet sanum cerebrum, nec ita vociferaretur, nec gesticularetur, nec se torqueret.* SPUD. *Hispani sunt & Galli paulò ferventiores: & ut sunt diversorum dogmatum, tantò ardentius concertant, quasi pro aris & focis, ut dicitur.* TYRO. *Quid? doctores hîc sequuntur diversa scita?* SPUD. *Interdum tradunt placita contraria.* TYRO. *Quos autores interpretantur?* SPUD. *Non eosdem omnes: sed ut quisque est peritia*

Rector.

III. Horæ docendi & repetendi.

IIII. Autores.

ritia & ingenio præditus. Eruditißimi & acerrimo judicio scriptores sibi sumunt optimos quosque, & eos quos claßicos vos Grammatici appellatis: sunt qui ex ignorantia meliorum ad proletarios descendunt, atq; etiam capite censos. Ingrediamur, ostendam vobis publicam gymnasii hujus bibliothecam. Hæc est bibliotheca, quæ ex magnorum virorum præcepto ad ortum æstivum spectat. TYR. Papæ, quantum librorum, quantum bonorum auctorum. Græci, Latini, oratores, poëtæ, historici, philosophi, theologi, & imagines autorum. SPUD. Et quidem, quantum effici potuit, ad vivum expressæ, atque eò preciosiores, foruli omnes & plutei querni aut cupreßini, cum suis catenulis? libri ipsi plerique omnes membranacei, & variis coloribus miniati. TYRO. Quis est primus ille rustico ore, naso repando? SPUD. Lege titulos. TYRO. Socrates est, & dicit: Cur in bibliotheca collocor, qui nihil scripsi? SPUD. Respondent sequentes, Plato & Xenophon: Quia quod alii scriberent, dixisti. Longum esset persequi singulos. TYRO. Hem, qui sunt illi abjecti in grandi illa strue? SPUD. Catholicon, Alexander, Hugucio, Papias, sermonaria, dialectica & physica, sophistica: hi sunt, quos capite censos nominabam. TYRO. Imò capite diminutos. SPUD. Soluta sunt omnia, tollat qui volet, molesto nos liberabit onere. TYRO. Vah, quot asinis esset opus ad istos asportandos:

v. Bibliotheca.

miror non esse ablatos, quum tanta sit ubique asinorum frequentia. Aliquando in eundem cumulum conjicientur Bartoli, & Baldi, & hujus farinæ homines. TYRO. *Imò furfuris.* SPV. *Non id esset humanæ tranquillitati damnosum.* TYR. *Heus, quid rei sunt illi in tam fluxis cucullionibus?* SPVD. *Descendamus, Batalarii sunt, qui in palæstram ingrediuntur altercatoriam.* TYR. *Quæso introduc nos illuc.* SPVD. *Ingredere, sed tacitè & reverenter. Aperi caput, & specta attentus singula: nam magnis de rebus disseritur, & quas plurimùm conducat cognoscere: ille, quem sedentem aspicis sublimem solum, & præses est certaminis, & contentionum decretor, quasique agonotheta. Primum ejus munus est, loca concertantum designare, ne ulla sit confusio aut perturbatio præire volentium.* TYR. *Quid sibi vult pellitum epitogium?* SPVD. *Ea est ephestris doctoralis, insigne ordinis ac dignitatis illius. HOMO est in paucis eruditus, quique & in lectione candidatorum Theologiæ primas tulit, & ad eũ doctißimus quisq; primas defert, ex hoc ordine.* TY. *Et Bardum ajunt lectum esse primum suo anno.* SPVD. *Is verò vicit competitores omnes ambitu & æstu: non scientia.* TYRO. *Quis est macilentus ille & pallidus, quem reliqui impetunt?* SPVD. *Is est propugnator, qui impetum omnium sustinet, & ex immodicis vigiliis maciem ac pallorem contraxit: magnos is habet in re philosophica*

VI. Disputatio.

I. Præses.

II. Propugnator.

ſophica & theologica progreſſus. Au, tace jam, & auſculta: nam qui nunc oppugnat, acutiſsimè & ſubtiliſsimè ſolet excogitare argumenta, & acerrimè urget propugnatorem, omniumq; ſententia cum ſummis in hac diſciplina comparatur, & ſæpè adigit concertatorem ad recantandum. Perpende, quomodo ille conatus eſt eludere, quomodo alter confutavit validè ratione inconfutabili, & quam ille diluere non potuit: jam & jaculum hoc eſt inevitabile, argumentum hoc eſt planè Achilles invincibilis, jugulum petit: non poterit propugnator ſe tueri, ſtatim dabit manus, niſi ſubterfugium aliquod mittat ei divus aliquis in mentem. Hem, profligata eſt quæſtio ſolertia decretoris. Iam ſolvo tuam linguam, loquere quantum voles: nam iſte, qui nunc impugnat, vappa eſt, pugione pugnat plumbeo, & altius tamen clamat quàm cæteri. Obſerva, videbis eum à pugna raucum diſcedere: hoc eſt ei perpetuum: & quantumcunque repulſa ſunt ejus tela, urget nihilo ſecius pertinaciter quidem, ſed ineſſicaciter: nec unquam vult habere argumentum ſuum pro derelicto, nec acquieſcere vel defendentis reſponſioni, vel decreto præſidis. Is qui nunc certamen ingreditur, delicatulè petit veniam à decretore, comiter præfatur, argumentatur invalide, diſcedit ſemper feſſus, etiam anhelans: tanquam arduo munere fortiter perſunctus: diſcedamus.

III. Oppugnator. Acutus.

Vappa.

Gymnaſium] Gymnaſium olim in ædibus locus peculiaris fuit, ad exercitationes deſtinatus. Poſtea philoſophi gymnaſia tenuerunt, & in illis diſputarunt: quæ & ſcholæ & diatribæ vocatæ ſunt. Grapal, lib. 2. cap. 3. Mercurial. de arte Gymnaſtica.

Academia] Academia (ut ait Suidas) gymnaſium erat Athenis ſuburbanum & nemoroſum, ubi Plato morabatur & docebat, ab Ecademo quodam heroë nominatum, ut ſcribit Ariſtophanes in Nubibus. Tria autem fuerunt Athenis gymnaſia, Academia, Lyceum, Cynoſarges. Hinc illud Poëtæ.

Inque Academia umbrifera, nitidoque Lyceo.

Lyceum, zum Wolff. Cynoſarges, zum weiſſen Hündlein.

Eruditiores] Obſerva præclarum locum de magiſtro aut doctore artium liberalium : in quo debet eſſe non ſolum eruditio, ſed & prudentia & dexteritas docendi : item compendia.

Dexteritate] Metaphora eſt pro promtitudine & facilitate.

Operæ precia] magnos profectus, vortſchreitten.

Quanti] Quo didactro? Quærit de didactro ſeu Minervali, id eſt, præmio doctrinæ, Schulgelt.

Ariſtotelicum] Lib. 9. Ethic. cap. 1. τοῖς φιλοσοφίας κοινωνήσασι τιμὴ ἰσόῤῥοπος οὐκ ἂν γένοιτο. οὐ γὰρ πρὸς χρήματ' ἡ ἀξία μετρεῖται: ἀλλ' ἴσως ἱκανὸν καθάπερ καὶ πρὸς θεοὺς καὶ πρὸς γονεῖς τὸ ἐνδεχόμενον.

Quid docent] Prima pars dialogi continet diſtributionem Doctorum ſeu Magiſtrorum ex ſubjectis circa quæ occupantur, ut ſunt Grammatica, Rhetorica, Dialectica.

Laborioſe] Epitheta duo in infelices Grammaticos recte detorta.

Ingeminant] inculcant: unde Poëtæ illud :

Occidit miſeros crambe repetita magiſtros.

Penitiora] ut pleniorem cognitionem Etymologiæ & Syntaxis.

Inge-

Ingenuum] Duo hominū genera apud Rom. fuerunt, liberi ſeu ingenui. **freye leute**/& ſervi, **eigene leut**. Illi inſtituebantur in literis, muſica, gymnaſtica, pictoria: ut Ariſtotel. lib. 8. politicorum cap. 2, & 3, ſcribit, & meminit Terentius in Eunucho act. 3. ſcen. 2. Hi inſtituebantur in artibus mechanicis & ſordidis.

Circumforaneæ] Cicero utitur hac quoque voce, cum ait æs circumforaneum. Græci agyrtas vocant, eos qui in foro verſantur.

Sordidæ] Ariſtoteles dicto cap. 2. vocat βαναύσους. βάναυσον ἔργον ἐστὶ τέχνη ταύτη καὶ μάθησις, ὅσαι πρὸς τὰς χρήσεις καὶ τὰς πράξεις τὰς τῆς ἀρετῆς ἄχρηστον ἀπεργάζονται τὸ σῶμα τῶν ἐλευθέρων ἢ τὴν ψυχὴν, ἢ τὴν διάνοιαν. διὸ τάς τε τοιαύτας τέχνας ὅσαι τὸ σῶμα παρασκευάζουσι χεῖρον διακεῖσθαι, βαναύσους καλοῦμεν καὶ τὰς μισθαρνικὰς ἐργασίας. βάναυσος Latinis ſordidus eſt, quo nomine licet propriè opificia intelligantur, quæ circa fornacem verſantur (ut Græcum nomen indicat, ab incendenda fornace deductum) conſuetudo tamen ad cuncta opificia tranſtulit, & omnes artes, quas vulgus mechanicas, Cicero ſordidas vocat, quippe quib. artificum corpora ſordeſcunt fœdanturq;, præſertim qui fornacibus utuntur, propter carbones & fuliginem.

In iſtis] Secunda pars dialogi de gradibus & honoribus, ut ſunt honores Baccalaureorum, Licentiatorum, Doctorum, Rectorum &c.

Deſignantur] Verbum ex Rom. cōſuetudine ſumtum, qua deſignati dicebātur Coss. & reliqui magiſtratus, qui in ſequentem annum erant electi.

Licentiati] Veteres in jurisprudentia λύτας habuerunt & προλύτας, ut ſcribit Juſtinianus in 2. epiſtola Pandectis præfixa. His noſtros Licentiatos & Doctores reſpondere hodie volunt. Lytæ erant dicti à ſolvendo, qui ſcilicet jam tantum profecerant, ut juris nodos ſolvere poſſent. Docturam poſuit pro Doctoratu.

Pileo]

Pileo] Pileus Rom. libertatis symbolum fuit, quòd eum servi manumissi in templo Feroniæ capite raso imponebant. Unde Brutorum statuæ pileolo ornari olim solebant, & à Bruto primo Cos. excusa moneta, in qua duobus pugionibus impositus pileus expressus erat. Lilius Gregorius syntag. 1. Et Cœlius lib. 20. cap. 12.

Libertate] Metaphoræ sumtæ à servis, qui libertate donabantur, & militib. emeritis, qui sic dicebantur, cum legitima stipendia confecerant omnia. Legitima verò erant equiti decem annorũ: pediti sex: aut si honores petere vellet, decem: intra annum decimum sextum & quadragesimũ septimum ætatis ex lege necessariò, cõficienda: quod Polybius scribit, & lex Tullia indicat, quæ juniorum ætatem annis 30. definivit, quos militare coëgit. Postea. n. veterani dicebantur. Qui verò emeritis stipendiis rursus militare cogebãtur, ii Evocati dicebantur autore Dione Sigonius lib. 1. de antiq. jur. civil. Rom. cap. 15.

Quid est] Descriptio Rectoris ex adjunctis. Clavarios autem nova voce appellat ministros à pedibus, qui Rectori sceptrum præferunt.

Assectantur] Q. Cicero in lib. de petitione Consulatus ad M. Tullium Ciceronem fratrem: Assectationis tres partes facit, unam salutatorũ, cum domum veniunt: alteram deductorum: tertiam sectatorum. Salutatores fuerunt, qui prima hora domum ad magistratum veniebant, ut salute dicta inde discederent. Deductores, qui præterea tantisper expectabant, dum illum domo exeuntem in forum deducerent. Sectatores, qui assidui cum eo omnibus horis erant, ejusque latera stipabant.

Quoties] Tertia pars de horis docendi & discendi seu repetendi.

Ruminant] Ruminare est eorum animantium, quæ cibum in os revocatum denuo mandunt, atque ita de-

mum in alterum ventrem trajiciunt. Hinc sumta metaphora dicimus ruminare lectioně, id est, repetere & recolere: & proverb. Ruminare negotiũ, pro expendere & in animo versare. Vide quæ in nostra physica scripsimus lib. 34. & Arist. de natura animalium, & Mercurial. lib. 5. Var. lect, cap. 13. 14. 15. 16.

Præconium] quod vulgò proclama barbarè vocant. Præcones autě fuerunt apparitores magistratuum, eorumq; in civitate usus varius fuit: in auctionibus, ut ad hastam starent, & precia oblata nunciarent: in concionibus, ut audientiam facerent: in comitiis magistratuum, ut tribus ad suffragia ineunda citarent, & eos qui designati erant, renunciarent. Hinc præconium facere, öffentlich außruffen.

Nam si] Ratio est à privantibus. Sano cerebro non ita vociferaretur: furit igitur.

Sanum] si non esset insanus aut mente captus.

Gesticularetur] gestibus ineptiret.

Hispani] Locus Physicus de Hispanorum & Gallorum ingeniis & naturis. Observa candorem Vivetis, qui de suis popularibus tam ingenuè scribit.

Dicitur] Proverb. Pro aris & focis.

Scita] Observa synonyma seu copiam verborum, dogmata, scita, placita.

Quos autores] Quarta pars de autoribus & libris: qui explicantur in schola.

Classicos] Metaphoræ sunt, à censu civium Rom. sumtæ, è quibus classici erant, qui pro ratione census in classes distribuebantur. Nam in prima censebantur, qui centum millia æris, id est. 1000. Coronatos possiderent. In quinto erant, qui undecim millia, id est, 110. Coronatos haberent. Sexta (cujus nulla erat ratio) erat proletariorum & capite censorum. Nam qui in plebe Rom. tenuissimi pauperrimiq; erant, neque amplius quàm mille quingentûm æris, id est, 15. Coronatos in censum deferebant, proletarii appellati

pellati sunt. Qui verò nullo aut perquam parvo ære censebantur, capite censi vocabantur. Extremus autem census capite censorum, æris fuit 375. id est, trium Coronatorum & $\frac{3}{4}$. Gellius lib. 16. c. 10. Hinc per metaphoram, autores classici pro optimis quibusque: è contra proletarii & capite censi pro deterioribus & vilioribus.

Hæc est] Quinta pars de Bibliotheca: quam ψυχῆς ἰατρεῖον (Der Seelen Artzney oder Apoteck) Diodorus Siculus lib. 1. vocatam ait, ubi Osymandyos regis Ægyptiaci sepulchrum describit, ἑξῆς ὑπάρχειν τὴν ἱερὰν βιβλιοθήκην, ἐφ᾽ ἧς ἐπιγεγράφθαι, ψυχῆς ἰατρεῖον. Primus omnium Aristoteles bibliothecam congregatis libris composuit, idque Ægypti reges facere docuit. πρῶτος συνήγαγε βιβλία, διδάξας τοὺς ἐν αἰγύπτῳ βασιλέας βιβλιοθήκης σύνταξιν. Strabo lib. 13. Vide Grapald. lib. 2. cap. 9.

Ortum] Ortus Solis triplex est. Æstivus, qui in æstate fit: hybernus, qui hyeme: solstitialis, qui in solstitio. Vitruvius lib. 6. Bibliothecæ ad orientem spectare debent, ita libri non putrescunt. Nam quæcunq; ad meridiem & occidentem apertas habent fenestras, tineis & humore libros vitiant, quod venti humidi procreant illas & alunt, infundentesque humidos spiritus pallore volumina corrumpunt.

Papæ] Exclamatio & distributio autorum secundum linguas & genera. Vide Cœlium Secundum in libris de Grammatico, ubi bibliothecam eruditè digerere docet.

Foruli] Foruli sunt armaria, ad libros continendos facta. Pluteus est tabula, cui, qui literis dant operã aut scribunt, sæpè assident, & in qua libros suos apertos ponunt. Grapald. proverb. Pluteum cedere.

Miniati] Minium, Græcis μίλτος, color est. Plin. lib. 33. cap. 7.

Socrates] Socrates Atheniensis philosophus, Platonis & Xeno-

& Xenophontis magister. Primus omnium cœpit de moribus disputare. Uxorem habuit Xanthippen, morosissimam mulierem, cujus probrosas injurias patientissimè pertulit. Vide Diogenem Laërtium.

Catholicon] Hi libri veterum sophistarum deliciæ fuerunt: ne non similes haberent labra lactucas.

Capite diminutos] Caput Latinis est status hominis: qui in tribus cõsistit, libertate, civitate, familia. Horum unum qui amittit, capite diminui dicitur. Vide lib. 1. Institutionum. Capite diminuti, die eins geringen werths oder stands seind.

Bartolus] Hi duo fuerunt olim juris magni nominis interpretes. Vide Bernardum Rutilium in ipsorum vita.

Farinæ] Proverb. Nostræ farinæ.

Heu quid] Sexta pars de disputatione, in qua tres sunt personæ, Præses, Propugnator, & Oppugnans.

Fluxis] weiten Kappen.

Palæstram] Metaphora est à palæstra certatoria. Intelligit autem disputationem.

Ille quem] Descriptio præsidis ex ejus officio.

Agonotheta] Qui ludos exhibet populi, propriè agonotheta dicitur, hîc significat arbitrum disputationis & diremptorem litis.

Epitogium] Epitogium & ἐφεστρὶς, exterior vestis est seu caputium magistrorum, ut barbarè vocant. Aliâs est vestis quæ armis superinduitur, ein Wappenröcklein.

Lectione] electione.

Candidatorum] Petitores magistratuum apud Roma. gerebant togam candidam: unde candidati pro petitoribus dicuntur. Vide Sigonium lib. 2. de judic. cap. 30. & lib. 3. cap. 19. Macrob. lib. 1. Isidor. lib. 19. cap. 24. Lips. lib. 1. elect. cap. 13.

Bardum] Bardus pro stupido sumitur. Utitur Plautus.

Ambitu] Ambire est studiosius & impensius petere.

Hinc crimen ambitus,quo quis ſe in ambiendo magiſtratu obſtrinxit. Vide Sigon. dicto lib.2. cap.30.

Aſtu] A Græco ἄϛυ urbs,quod in urbibus qui ſunt,plerumque aſtutiores ſunt iis qui ruri ſunt. Terentius: An in aſtu venit?

Quis eſt] Deſcriptio eſt propugnatoris ex adjunctis,è quibus immodicum ſtudium arguitur.

Au,tace] Deſcriptio eſt oppugnatorum trium per distributionem. Tres enim facit oppugnatores, Acutum, Vappam & Delicatum.

Nam qui] Primus oppugnator Acutus in excogitando ſeu inveniendo, & acer in urgendo.

Disciplina] disſerendi,id eſt,dialectica.

Concertatorem] Antagoniſtam.

Recantandum]Proverb. Palinodiam canere,id eſt,diverſum à prioribus dicere,ein widerruff thun.

Eludere] den ſtreich außhalten. Metaphora ſumta à gladiatorib. ſeu palæſtritis. Eludere enim eſt finem ludo imponere,quod victores gladiatores victis inſultantes faciunt. Cicero in 1. Catil. Quamdiu nos furor iſte tuus eludet. Terent. in Eunucho: Periiſti, eludet ubi te victum ſenſerit.

Confutavit] widerlegt.

Achilles] Proverb. Achilleum argumentum,id eſt,inſuperabile & inſolubile,ἀδιάλυτον: ab Achille Græcorum duce invictiſſimo. De quo paſſim Homerus in Iliade.

Jugulum petit] Er erwiſcht jn bey dem halß/oder bey dem rechten hafft.

Dabit manus] wird ſich gefangen geben. proverb.Dare manus,id eſt, ſe victum agnoſcere.

Subterfugium]außflucht/ſchlupff.

Decretoris] præſidis.

Nam iſto] Secundus oppugnator Vappa, metaphora ſumta à vino aceſcente. Vappa enim vinũ eſt,quod odorem & ſaporem amiſit. Inde homines viles,diobolares,

bolares, nugatorii, Vappæ dicuntur. Plinius lib. 14. cap. 20. Vitium multo quibusdam in locis sponte fervere. qua calamitate dum deferbuit, deperit sapor, vappæque accepit nomen probrosum, etiam hominum cum degeneravit animus.

Pugione] infirmis utitur argumentis. proverb. Plumbeo jugulare gladio.

Altius] fortius. Ut enim claudi ad equos, sic indocti ad clamorem & vociferationem currunt.

Raucum] häiser. proverb. ad ravim usque.

Tela] argumenta.

Pertinaciter] Talem pertinacem disputatorem refractarium vulgo dicimus. Aristot. lib. 8. Topicorum, cap. 3. δύσκολον vocat.

Is qui nunc] Tertius oppugnator Delicatus, qui delicias facit. Ad extremum observa copiam verborum. Disputatio, palæstra altercatoria, certamen, contentio, pugna. Item argumentum, ratio. jaculum, pugio, telum. Item solvere argumentum, eludere, confutare, diluere, tueri se, subterfugium quærere, profligare quæstionem, repellere tela.

Sententiæ.

In magistro requiritur eruditio, prudentia, & dexteritas docendi: ubi tales sunt, ibi fiunt magna disciplinarum operæ precia & quidem magnis compendiis discendi.

Diis, parentibus & magistris, parem gratiam non possumus rependere.

Liberalibus & ingenuis artibus decet unumquemque ingenuum imbui.

Parum sani cerebri est, qui vociferatur, gesticulatur & se torquet.

Sophistarum libros & Bartolum ac Baldum rejicit Vives tanquam humanæ vitæ damnosos.

Competitores scientia, non ambitu aut astu, vincendi sunt.

Vappæ & indocti homines altius clamant quàm cæteri.

CVBICVLVM ET LVCVBRATIO.

Plinius, Epictetus, Celsus, Dydimus.

In hoc Dialogo duo agit: primo enim describit lucubrationem ex adjunctis temporis, causis & subjectis: deinde lectum & ejus apparatũ & adjuncta. Lucubrationis causæ adjuvantes, sunt lumina, palla lucubratoria, Minerva seu Christus, mensa, pluteus, anagnostes, exceptor, pennæ, theca pulveraria. Subjectum sunt Cicero, Demosthenes, Nazianzenus, Xenophō. Lecti apparatus est in culcitra, cervicali, pulvinis, linteis, lodicibus, peristromatis, conopœo, peripetasmatis, stragulis. Adjuncta sunt, culices, pulices, pediculi, cimices, horologium excitatorium, sella plicatilis, matula, lyra. Nomina personarum aptè sumpta sunt: fuerunt enim hi quatuor viri doctissimi & studiosissimi: de quibus Volaterranus in sua Anthropologia. Plinius de historia naturali libros XXXVII. scripsit: avunculus fuit Plinii alterius, cujus adhuc epistolæ extant. Is ad Marcum de avunculo suo sic scribit: Erat acre ingenium, incredibile studium, summa vigilantia: somni parcissimi. Post cibum sæpè (quem interdiu levem & facilem veterum more sumebat) æstate, si quid otii, jacebat in sole: liber legebatur, annotabat, excerpebatque. Nihil enim unquam legit, quod non excerperet. Dicere etiam solebat, nullum esse librum tam malum, ut non aliqua ex parte prodesset. Memini quendam ex amicis, cum lector quædam pronunciasset perperam, revocasse & repeti coëgisse. Huic avunculum meum dixisse: Intellexeras nempe: quum ille annuisset. Cur ergo revocabas? decem amplius versus

hac

hac tua interpellatione perdidimus. Tanta erat parsimonia temporis. Hæc inter medios labores, urbisque fremitum. In secessu solum balinei tempus studiis eximebatur. Cum dico balinei, de interioribus loquor. Nam dum distringitur, tergiturque, audiebat aliquid aut dictabat. In itinere, quasi solutus cæteris curis, huic uni vacabat. Ad latus notarius cum libro & pugillaribus, cujus manus hyeme manicis muniebantur, ut ne cœli quidem asperitas ullum studiis tempus eriperet, qua ex causa Romæ quoque sella vehebatur. Repeto me correptum ab eo, cum ambularem. Poteras, inquit, has horas non perdere. Perire enim omne tempus arbitrabatur, quod studiis non imparti-retur. De ejusdem morte, vide ejusdem epistolam ad Tacitum. Epictetus (ut epigramma de eo testatur) & servus fuit & claudus & Iro pauperior: sed sapientia & animi æquitate & constantia (ut ejus monumenta testantur) admirabili & penè divina. Serviit autem Epaphrodito, Neronis Cæsaris liberto. Celsus medicus insignis fuit, cujus adhuc opera extant: ejus egregium dictũ est, Abstinentia & quiete multos magnos morbos curari. Dydimus Grammaticus ob incredibilem numerum librorum, quos scripsisse dicitur, χαλκέντερος dictus est, velut habens ærea intestina, hoc est, insigniter patiens laborum & indefatigabilis. Idem (ut & Origenes) dictus est Adamantinus eadem de causa. Vide proverb. Adamantinus & Chalcenterus, & Aristophanis & Cleanthis lucerna.

I. Lucubratio.

PLINIVS. *Hora est à meridie quinta. Heus Epictete, claude mihi fenestras istas, & infer huc lumina ad lucubrandum.* EPICT. *Quæ lumina?* PLIN. *Intereà dum hi adsunt, candelas sebaceas aut cereas, ubi recesserint, tolletis eas, & statuetis hic mihi lychnum.* CEL. *Quorsum*

sum id? PLIN. Ad lucubrandum. CEL. Quin studes potius de mane? tum enim videtur & temporis ratio, & qualitas corporis invitare, cum est minimum vaporum in cerebro peracta concoctione illa evaporatoria. PLIN. Etiam hæc hora tranquillissima est, cum quiescunt & silent omnia, atque iis qui prandent & cœnant non incommoda. Nam sunt, qui cœnant tantum more prisco, alii prandent solùm ex placitis recentium medicorum: alii & prandent & cœnant more Gothico. CEL. An non ante Gothos erant prandia? PLIN. Erant, sed levia. Gothi morem invexerunt, bis in die saturum fieri. CELS. Qua de causa Plato mensas Syracusanas damnat, in quibus quotidie exaturentur bis? PLI. Ex eo colligas fuisse rarissimas. CELS. Sed missa isthæc faciamus. Cur lucubras ad lychnum potius, quàm ad candelam? PLIN. Propter flammam æquabilem, quæ minus lædit oculos: illa enim crispatio myxi officit oculis, & sevi odor inamœnus est. CELS. Utere cereis, quorum odor non est ingratus. PLIN. Myxus est in his magis tremulus, nec vapor salubris: & in sebaceis ellychnium est lineum plerumque, non xylineum: ut propolæ isti ex rebus omnibus quærunt compendium cum fraude. Infunde oleum in lucernam hanc, profer acu myxum, & exfunga. EPIC. Quam hæret fungus acui? signum dicunt esse pluviæ, quemadmodum est apud Vergilium:

Tempus.

Causæ adjuvantes.

Scin-

Scintillare oleum, & putres concrescere fungos.
PLINI. *Adfer etiam furcinulam, & emunge candelam hanc, ne projicias fungum in pavimentum, ne fumiget: sed opprime intra furcinulam, quando est contecta. Profer mihi pallam lucubratoriam, prælongam illam pellitam.* CELSVS. *Ego te tuis libris commendabo. Minervam tibi opto propitiam.* PLINIVS. *Paulum malim, vel quod dicere debui, Christum Iesum, DEI sapientiam.* CELSVS. *Fortasse Christus Minervæ fabula adumbratur, ut quæ ex Iovis cerebro sit nata.* PLINIVS. *Statue mensam super tibicines in cubiculo.* EPICTE. *Mavis mensam quàm pluteum?* PLINIVS. *Etiam, hoc quidem tempore: sed pone supra mensam pluteolum.* EPICTE. *Stabilem an volubilem?* PLINIVS. *Quem males. Ubi est Dydimus meus à studiis?* EPICTE. *Eo illum accersitum.* PLIN. *Et huc adducito puerum exceptorem: nam lubet aliquid dictare. Da mihi illos calamos: & pennas duas aut tres cannæ amplæ, & thecam pulverariam. Profer mihi ex armario Ciceronem & Demosthenem, tum ex pluteo codicem excerptorium, & regesta majuscula: audin'? & mea schedia, in quibus libet nonnulla expolire.* DYDIM. *Non arbitror esse schedas tuas in pluteo, sed in scrinio conclavis.* PLIN. *Id verò ipse scrutator. Adfer mihi Nazianzenum.* DYDIM. *Non nosco.* PLIN. *Liber est*

Subjecta.

minimè spissus, consutus, & tectus membrana ruditer. Adfer quoque codicem quintum à primo. DYDI. *Quod est lemma illius?* PLIN. *Xenophontis commentarii: liber est expolitus, tectus corio cum uncinulis & umbilicis cupreis.* DYDI. *Non invenio.* PLI. *Nunc memini, in quarto loculamento eum reposui, illinc prome. In eo loculamento non sunt nisi libri soluti, & rudes, quales recens adferuntur ab officina.* DYDIM. *Ecquod corpus Ciceronis poscis? nam sunt quatuor.* PLIN. *Secundum.* EPIC. *Nondum est relatum à librario glutinatore: cui dedimus nudius ut puto quintus.* DYDIM. *Quàm placet tibi hæc penna?* PLI. *Non sum in eo valde sollicitus, quæcunque in manus venit, ea sic utor tanquam bona.* DYDI. *Hoc habes Ciceronis.* PLI. *Conquiescite: reclude mihi Ciceronem, aperi, evolve adhuc tria aut quatuor folia ad quartum Tusculanarum quæstionum, quære ibi de mansuetudine & lætitia.* EPIC. *Cujus sunt hi versus?* DYDIM. *Ejus ipsius, quos de Sophocle vertit: quod facit sanè lubens, ac proinde sæpè.* EPIC. *Erat credo ad carmen componendum satis aptus.* CELS. *Aptißimus ac facilimus: nec, ut illo seculo, infelix, contra quam existimant plurimi.* EPIC. *Sed tu quomodo intermisisti studium poëtices?* PLIN. *Aliquando repetemus succisivis horis, ut spero: nam habet multum levamenti ab studiis gravioribus. Defessus sum jam*

studen-

ſtudendo, meditando, ſcribendo: ſterne mihi le-ctum. EPIC. *In quo cubiculo?* PLIN. *In lato illo & quadrato: & tolle ex angulo anaclinterium, transfer in cœnationem, pone ſuper culcitram plumeam alteram tomenti lanei? vide ut fulcra lecti ſint ſatis firma.* EPIC. *Quid refert tua, qui non cubas in alterutra ſpondarum, ſed in medio? ſed ſalubrius foret, ſi lectus eſſet durior & qui corpori reſiſteret.* PLIN. *Tolle cervical, & pro eo repone pulvinos duos: & in hoc æſtu malo plagam illam, quàm arcta iſthæc lintea.* EPIC. *Sine lodice?* PLIN. *Etiam* EPIC. *Algebis, nam ſurgis ab ſtudiis extenuato corpore.* PLIN. *Injice ergo periſtroma aliquod leve.* EPIC. *Iſtud, nullum aliud ſtragulum?* PLIN. *Nullum, ſi ſentiam frigus in lecto, poſcam plus veſtium, aufer illa peripetaſmata: nam ad culices excludendos malo conopœum.* EPIC. *Culices paucos hic ſenſi, pulices & pediculos ſatis multos.* PLIN. *Ego verò miror te aliquid ſentire, qui ſic dormias, & ſtertas.* EPIC. *Nemo dormit melius, quàm qui non ſentit quàm male dormit.* PLIN. *Nihil horum animalculorum, quibus per æſtatem in cubiculis infeſtamur, tam movet nauſeam, quàm cimices, odore illo teterrimo.* EPIC. *Satis bonus proventus eſt eorum Lutetiæ ac Lovanii.* PLIN. *Eſt genus ligni: quod illos creat Lutetiæ, & argilla Lovanii. Colloca hic mihi horologium excitatorium, & obicem infigito in horam quar-*

11. Lectus. Apparatus. Adjuncta.

tam matutinam, neque enim volo diutius dormire. Excalcia me, pone hic sellam plicatilem in qua sedeam, matula in scabello sit mihi juxta lectulum parata. Nescio quid hic olet male, suffias paulùm thuris, aut juniperi. Cane hic mihi lyra aliquid lectum ingredienti, more Pythagorico, ut citius obdormiã, & somnia sint placidiora. EPICT.

Somne quies rerũ, placidißime Somne Deorũ,
Pax animi, quem cura fugit, qui pectora longis
Fessa ministeriis fulcis, reparásque labori.

Hora est] PRIOR PARS dialogi de lucubratione: id est, studiis, quæ noctu ad lucernam fiunt.

Lumina] Distributio est luminum in duas species, candelas & lychnum. Candelæ rursus è materia distribuuntur in sebaceas & cereas. Sebum, sevum, sepum pingue est animalium utrinq; dentatorum & cornigerorum, **vnschlit**. Apuleius: Tota domus complectur tedis, lucernis, cæreis, sepatiis & cæteris nocturni luminis instrumentis. Cæreus à cera dictus est, **ein fackel**. Martialis in Apophoretis:

Hic tibi nocturnos præstabit cæreus ignes:
Subducta est puero namque lucerna meo.

Vide Isidorum lib. 20. cap. 10. Ubi Vulcanius Martialis locum depravatum non correxit.

Lychnum] Alii lychnuchum habent. Lychnus est lucerna, **ein lampen**. Persius: Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ. Lychnuchus autem dicitur quicquid lucernas sustinet, ut ὀφιοῦχος inter astra anguifer, δαδοῦχος tedifer, σκηπτοῦχος sceptrifer rex, κλειδοῦχος claviger. Grapald. lib. 2. cap. 3. Isidor. lib. 20. cap. 10.

Quin studes] Prima pars lucubrationis de adjuncto Tempore.

Con-

Concoctione] digestione, qua vapores ex stomacho in cerebrum exhalantur.

Prisco] Romanorum, qui tantùm cœnabant.

Gothico] Gothi haud dubiè Getæ fuerunt, qui olim in Asia sedes habuerunt. Inde migrarunt in Panno-niam, ad Vistulam, ad littus Balthicum, & Scandiam occuparunt, quam hodie Selandiam vocant. Inde sanè Methodius & Paulus Diaconus exercitus quasi apum examina erumpere consuevisse tradunt. Jor-nandes verò & Olaus appellant hominũ officinam, quod inde Gothi, Gepidæ, Hunni, Cimbri, Longo-bardi, Alani, Burgundi, Normanni, Picti, Heruli, Svevi, Sclavi, Sveci, Rugi originem traxerunt.

Plato] In epistola 7. ad Dionis amicos. Λέγειν ἠναγκάσθην ἐπαινῶν τὴν ὀρθὴν φιλοσοφίαν, ὡς ἐκ ταύτης ἐστὶ τά τε πολιτικὰ δίκαια καὶ τὰ τῶν ἰδιωτῶν πάντα καθιδεῖν. κακῶν οὖν οὐ λήξειν τὰ ἀνθρώπινα γένη, πρὶν ἂν ἢ τὸ τῶν φιλοσοφούντων ὀρθῶς γε καὶ ἀληθῶς γένος, εἰς ἀρχὰς ἔλθῃ τὰς πολιτικὰς, ἢ τὸ τῶν δυναστευόντων ἐν ταῖς πόλεσιν, ἔκ τινος μοίρας θείας ὄντως φιλοσοφήσῃ. ταύτην δὴ τὴν διάνοιαν ἔχων εἰς Ἰταλίαν τε καὶ Σικελίαν ἦλθον, ὅτε πρῶτον ἀφικόμην. ἐλθόντα δέ με ὁ ταύτῃ λεγόμενος αὖ βίος εὐδαίμων, Ἰταλικῶν τε καὶ Συρακουσίων τραπεζῶν πλήρης, οὐδαμῇ οὐδαμῶς ἤρεσε. δίς τε τῆς ἡμέρας ἐμπιπλάμενον ζῆν καὶ μηδέποτε κοιμώμενον μόνον νύκτωρ, καὶ ὅσα τούτων ἐπιτηδεύματα ξυνέπεται τῷ βίῳ. ἐκ γὰρ τούτων τῶν ἐθῶν, οὔτ' ἂν φρόνιμος οὐδείς ποτε γενέσθαι τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανὸν ἀνθρώπων ἐκ νέου ἐπιτηδεύων δύναιτο, οὐθ' οὕτως θαυμαστῇ φύσει κραθήσεται. σώφρων δὲ οὐδ' ἂν μελλήσαι ποτὲ γενέσθαι. Vide Cicer. 5. Tuscul.

Cur lucubras] Secunda pars lucubrationis de causis ad-juvantibus.

Myxi] Myxus est funiculus aut flocculus, qui candelæ flammam nutrit. Græci ellychnium, & θρυαλλίδα & φλομὸν vocant. Hinc polymyxos lucerna, quæ mul-tos habet angulos & in his funiculos ad illustranda convivia. Martialis:

Illu-

Illuſtrem cum tota meis convivia flammis.
Totque geram myxos: una lucerna vocor.

Xylineum] Baumwollen. Plinius lib. 19. cap. 1. Superior pars Ægypti in Arabiam vergens, gignit fruticem, quem aliqui goſſipion vocant, plures xylon, & ideo lina inde facta xylina. Parvus eſt, ſimilemque barbatæ nucis defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur. Nec ulla ſunt eis candore mollitieque præferenda.

Propolæ] Fürkäuffler. Cicero 1. Offic. ſordidi ſunt etjam putandi, qui mercantur à mercatoribus, quod ſtatim vendant. Nihil enim proficiunt, niſi admodũ mẽtiantur: nec verò quicquam eſt turpius vanitate.

Exfunga] Exfungare novum verbum eſt, pro emungere. Nam funiculi ſuperfluitas in fungos conſumitur, quos qui emungit, ut lucerna ſplendidius lumen emittat, exfungare dicitur.

Virgilium] lib. 1. Georgicorum. Aratus.
ἢ λύχνοιο μύκητες ἀγείρονται περὶ μύξαν
νύκτα κατὰ σκοτίην.

Furcinulam, butzer / butzſchär.

Minervam] Palladem, præſidem ſtudiorum. Horatius.
Tu nihil invita dices, faciesve Minerva.
Vide proverb. Sus Minervam & invita Minerva.

Cerebro] Minerva Jovis filia absque matre. Cum enim Jupiter Junonem ſterilem videret, ne omnino ſine hærede eſſet, concepit in cerebro Minervam, diviſoque eo per Vulcanũ enixus eſt Minervam. Allegoricè autem ſignificat, omnes honeſtas disciplinas à Deo oriri. Securis autem Vulcani eſt ipſa dialectica, artium magiſtra, cujus ope omnes liberales artes inventæ ſunt. Vide Ovid. lib. 3. Faſtor. Homerum in hymnis Deorum. Pind. Olymp. 7. Terent. act. 5. ſce. 4. Heautont. Lucian. 8. dialogo ſuperorum. Hinc κορυφαγενὴ dicta eſt, ut Plutarchus refert: & interpres Homeri Iliad. ζ. Palladem dictam ait ἀπὸ τοῦ ἀ-

ναπαλ-

καπαλθῆναι αὐτὴν ἐν τῇ κεφαλῇ τοῦ Διός. Pythagorici triangulum æquilaterum, τρίγωνον ἰσόπλευρον ἀθηνᾶν κορυφαγένην & τριτογένειαν vocarunt: quia hæc figura συμβολικῶς designat Deum trinum & unum. Unitas enim trigonum conficit.

Tibicines] Tibicines propriè sunt qui tibia canunt: hinc tibicines in ædificiis tigilla, veluti pilæ, stelæ, aut parastatæ, tecta juvantia: dicti à similitudine tibiis canentium, ut Pompejus testatur. Hîc sumit pro fulcris seu pedibus mensæ.

Volubilem] Pluteus stabilis, ein pult. Volubilis, ein pult das herumb gehet.

A studiis] id est, anagnostes, famulus qui legit.

Exceptorem] Excipere est dictata scribere. Hinc puer exceptorius, qui dictata scribit.

Thecam] streubüchß/sandbüchß.

Profer mihi] Tertia pars lucubrationis ex subjectis autoribus.

Armario] Vide l. librorum 52. De legat. 3.

Demosthenem] Cicero Latinus orator, ut Demosthenes Græcus.

Excerptorium] Liber excerptorius est, in quo ex autoribus excerpta annotantur: qui si secundum alphabetum sit confectus, regestorum nomen sumit.

Schedia] Schedia Græcis sunt, quæ nos extemporanea dicimus: dicuntur & σχεδιάσματα: unde αὐτοσχεδιάζειν, id est, ex tempore scribere. Schedæ & schedulæ idem, significant & folia chartæ. Vide Bud. in annot. prior. & Grapald. lib. 2. cap. 9.

Nazianzeni] Gregorius Nazianzenus natus in Cappadocia ex patre Episcopo oppidi Nazianzon, cui postea successit. Fuit socius studiorum & collega D. Basilii, præceptor D. Hieronymi, ut ipse Hieronymus in comm. in Esai. 6. testatur. Mortuus est circa annum Christi 400. Vide historiam ecclesiast. lib. 11. c. 9. Tripar. lib. 9. cap. 8. 10. 13. Hieron. in catalogo.

Lemma]

Lemma] inscriptio.
Uncinulis] clausuras vulgo vocant, **clausuren.**
Umbiculis] Metaphora est, pro bullis cupreis, quæ libris affigi solent.
Loculamento] Loculamenta sunt foramina parietum, vel loca distincta lateribus aut tabellis, in quibus nidificant columbæ, **taubennest.** Hic pro loco armarii sumitur in quo libri ponuntur.
Corpus] Corpus hic pro tomo ponit. Hoc σῶμα curabo ut habeas, ait Cicero lib. 2. ad Atticum, epist. 1.
Glutinatore] Glutinum **leim.** Hinc Glutinator Ciceroni in epistolis ad Atticum pro ligatore librorum, **Ein Buchbinder.** Etiam velim mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio utatur glutinatoribus. lib. 4. ad Atticum, Epist. 4.
Ciceronis] Vide Volaterranum lib. 33.
Aptus] Vide de Ciceronis studiis poëticis Rami Ciceronianum.
Plurimi] Martialis certè de Cicerone ut inerti poëta scripsit ad nescio quem:

> Quod scribis versus Musis & Apolline nullo,
> Laudari debes: hoc Ciceronis habes.

Nam habet] Laudem poëtices vide apud Ciceronem in orat. pro Archia poëta.
Defessus] ALTERA PARS dialogi de lecto, ejusq; apparatu & adjunctis.
Anaclinterium] Anaclinterium ab ἀνακλίνομαι recumbo: lectus est in quo interdiu cubatur. Lampridius utitur in Heliogabalo. Dicitur etiã Stibadion. Tranquillus in Augusto lectulum lucubratorium vocat.
Tomenti] Culcitra ad quietẽ parata est, sic dicta quòd in ea tomentũ (id est, rasura è pannis lineis per fullonem carduis detracta) inculcetur. Macrob. in Saturnal. de dicteriis Augusti: Relata (inquit) ad se magnitudine æris alieni, quam quidam eques Rom. dum vixit, excedentem ducenties (id est, quingenta millia

millia Coronatorum) celaverat: culcitram cubicularem in ejus auctione sibi emi jussit: quòd habenda esset culcitra, in qua ille, cum tantum deberet, dormire potuit.

Cervical] Cervical pluma refertum subjicitur capiti, unde à cervice (teste Prisciano) nomen accepit. Suetonius scribit, in lecto Neronis adhuc pueri, circa cervicalia, depræhensas serpentis exuvias fuisse. Qua impietas ipsius in matrem significata est.

Plagam] Nonius: Plagæ (inquit) grande lineum tegmen, quod nunc lecticariam sindonem dicimus. Idem autem significant, plaga, linteum, lodix.

Peristroma] Stragulum, à sternendo dictum, est quicquid culcitræ insternitur, autore Varrone. Plinius: In Orchomeno tota subruunt arva talpæ, quarũ è pellibus cubicularia vidimus stragula. Peristromata sunt stragula picta & versicoloria. Plautus in Pseudolo: Ita ego vestra latera loris faciã ut validè varia sint, ut ne peristromata æque picta sint Campanica.

Vestium] id est, operimentorum. Vestes enim non tantum sunt quibus induimur, sed & quibus inter dormiendum tegimur.

Peripetasmata] Peripetasmata sunt aulea seu stragula versicoloria, quæ ad ornandum locum suspensa extenduntur.

Conopeum] Genus est tentorii linei, lanei, vel bombycini, quod ad vitandos culices & muscas, circa lectum explicatur, κώνωψ, culex, ein schnack.

Plicatilem] Sella plicatilis, ein zugethaner sessel. ὀκλάδιος δίφρος. Athenæus lib. 12. ὀκλαδίας αὐτοῖς δίφρους ἔφερον οἱ παῖδες, ἵνα μὴ καθίζοιεν ὡς ἔτυχεν. Vide Budæum in commentariis Græcæ linguæ.

More] De hoc more Pythagoricorum vide Quintil. lib. 9. cap. 4. De Pythagora vide Diogenem Laërtium & Ovid. lib. 15. Metamorph.

Somne] Hi versus sunt ex lib. 11. Ovid. Metamorph.

CVLI-

CVLINA.

Lucullus, Apicius, Pistillarius, Abligurinus.

In hoc dialogo describit ea, quæ ad culinam spectant: nec verò turpe est adolescenti ingenuo, singula suis propriis nominibus appellare posse, ut etiam Aristophanis interpres in Acharnensibus putat: ἔστι δὲ τοῦτο ἀστεῖον καὶ πεπαιδευμένου ἁρμόζον, μὴ δὲ τῶν κατὰ τὴν οἰκίαν σκευῶν τῆς καθημερινῆς χρείας ἀγνοεῖν τὰ ὀνόματα. Personarum colloquẽtium nomina aptè sumta sunt, ut aliâs semper. Lucullus & Apicius nomina propria sunt virorum luxuria insignium. De Lucullo vide Plutar. in Lucullo, & Athenæum lib. 12. qui ait eum τρυφῆς πρῶτον εἰς ἅπαν ῥωμαίοις ἡγεμόνα γενέσθαι. Idem lib. 4. ait: τὸν ἀπίκιον περὶ ἀσωτίαν πάντας ἀνθρώπους ὑπερηκοντικέναι. Pistillarii & Abligurini nomina ficta sunt, illud à pistillo quasi obtusi hominis: hoc ab abliguriendo quasi liguritoris. Partes verò tres fieri possunt hujus dialogi: Conductio Apicii, Præcepta ejusdem & cantiones.

I. Conductio Apicii.

LVCVL. *Es tu popino?* APIC. *Sum.* LVCVL. *Ubinam agis?* APICI. *In popina galli gallinacei, num eges me?* LVCVL. *Etiam, ad nuptias.* APIC. *Sine me domum transcurrere, ut præcipiam uxori, quemadmodum sint tractandi ganeones, quos scio non solere in hac civitate deesse, tum etiam adventores.* LVCVL. *Audin' tu? reperies me in vico lapideo, in ædibus sutorum.* APIC. *Continuò adero.* LVCVL. *Bene est, ingredere culinam.* APIC. *Heus Pistillarie, & tu Abligurine, ignem in lare extruite sub fumali grandibus lignis, & quantum fieri po-*

II. Præcepta Apicii.

ri poterit acapnis. PIST. *Putas te esse Romæ? hic tabernas coctilitias non habemus, è quibus ligna coctilia promuntur, habebis bene arida.* APIC. *Ni ita sit, tu abligurine suffitor perdes oculos sufflando.* ABLI. *Imò bibam largius, væ vino.* APIC. *Væ aquæ, nam vinum hodie non attinges, si sim sanus, nolo mihi evertas ollas, & auxillas confringas, & cibos corrumpas.* ABL. *Non vult ardere hic ignis.* API. *Injice fasciculum aliquem sulfuratorum & fomitem, frustula aliquot cum his assulis.* ABLI. *Extinctus est prorsum.* APIC. *Transcurre ad ædes proximas cum batillo, & adfer nobis torrem aliquem prægrandem, & prunas bene incensas.* ABLI *Metallarius est illic dominus, nec sinet carbonem unum sub fornacibus sibi detrahi, citius oculum.* APIC. *Non est metallarius, sed metallicida. ito ergo ad furnum. Quid adfers, titionem magis quàm torrem?* ABLI. *Non habebant prunas carbonis.* API. *Quid malum carbonis, cespitum hic dixeris. Tu furcilla hac move ligna, & agita fomitem, ut ignem concipiat, sume pyrolabem asine.* ABL. *Quid rei est isthuc verbum?* APIC. *Forceps ignaria, pruniceps.* ABLI. *Quid mihi cum verbis Græcanicis? quasi desint Latina.* API. *Etiámne asini sunt Grammatici?* ABLI. *Quid mirum, quum & Grammatici sint asini.* APIC. *Fac finem altercandi, volo carbones aliquot, aut cespites accendas mihi in hoc foco, ad*

testuacia lentè incoquenda. Suspende ahenum ad ignem, ne desit aqua calida. tum in cacabum injice armum illum vervecinæ, cum bubula salita. cucumam igni admove cum vitulina, & agnina, in chytropode elixabimus oriza. ABL. Quid pulli? APIC. Coquentur in auxilla ærea, quæ stanno est illita, quo sapor sit gratior: sed non tam maturè verua profers sub nonam, & pinguaria. lupum hunc sines in aqua lusitare paulisper, tum exenterabis. ABLI. Carnes & pisces in eadem mensa? APIC. Maximè more Germanico. ABL. Atqui hoc non placet medicis. API. Medicinæ non placet, medicis placet. Ego stipitem hunc grammaticum tantum esse existimabam, medicus etiam est. ABLI. Nunquámne de quæstione illa audivisti, utrum sint in civitate plures medici, an stulti? APIC. Quis te detrusit in culinam, quum sis tam saperda? ABLIG. Adversa mea sors. APICI. Imò, quod manifestum est, segnicies tua, & socordia, & gula, & lurcacitas, & ingluvies, & animus degener, ac abjectus. ideo ambulas nudis pedibus, semiamictus veste obsoleta, & natibus breviore. ABLIGV. Quid tibi cum mea paupertate? APIC. Nihil omninò, nec velim esse. Sed ad rem, ne præter rem plura quàm oportet. Satisne sunt hæc jussa, supérque infixa & inculcata? Scilicet vobis nunquam satis. Da mihi meam braccam, nam foras lubet prodire, conti-

nuò

nuò adero. Cedo tudiculam, insigne artis nostræ: hoc est meum fulmen, & tridens. PIST. Heus Abligurine, statue hydrias illas in urnario, & hanc bubulam abluito diligenter, & confricato in labro. ABLI. Etiámne tu hic quoque imperas? Unus Imperator unis castris sufficit, non sufficiet culinæ unus? facito ipse, tu es acrior exactor operæ, quàm ipse magister culinæ. Non vocabo te posthac pistillarium, sed stimulum acutum. PIST. Imò voca me Onocentron. Frange tu ergo vitulinam hanc in epixenio. Comminue paulum hujus casei, ut spargamus super hanc offam. ABLI. Quomodo? manu? PIST. Non, sed tyrocnesti. Instilla huc guttas aliquot olei ex lecytho. ABLI. Dicisne ex hoc capsace? PIST. Statue hic mortarium. ABLIG. Quod istorum? PIST. Illud æneum, cum pistillo ejusdem metalli. ABLI. Qua gratia? PIST. Ad terendum petroselinum hoc? ABLI. Satius est in pila id fieri marmorea, pistillo ligneo. PIST. Quæso cantilla, sicut consuevisti. ABL. Ego nolo Cæsar esse, ambulare per Britannos, Scythicas pati pruinas.

III. Cantiones.

Ut sapiant fatuæ Fabiorum prandia betæ,
O quàm sæpè petet vina pipérque coquus!

PIST. Fabiorum, an fabrorum? ABL. Quære à ludimagistro loripede, & pro fabris & Fabiis referes egregium colaphū in gena, vel in bucca. PIST. Sic est homo? ABLI. Vir strenuus

& fortis, & manu promtus. celeritate manuum compensat linguæ tarditatem. PIST. Cedo urnulam cervisiariam, exiccatum habeo palatum, guttur, fauces. ABL.
Et gravis attrita pendebat cantharus ansa.
Claudere quæ cœnas lactuca solebat avorum,
Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes?
Filia Picenæ venio Lucanica porcæ,
Pultibus hinc niveis grata corona datur.
API. Unde tu didicisti adeò ῥαψωδεῖν? ABL. Inservivi nuper in Calabria ludimagistro cuidam poëtastro: qui sæpenumero cœnam aliam non dabat mihi, quàm cantillationem centum versuum, quibus mirificum ajebat saporem inesse: ego verò paulum panis & casei maluissem. aquæ erat satis domi, & licebat nobis de puteo bibere ex animi sententia. inde ego quum esuriens concessissem cubitum, pro epulis versus illos ruminabam & concoquebam: nec mihi aliud visum est remedium ad bulimiam illam depellendam, quàm culinariam arripere. APICI. Quæ illi præbebas ministeria? ABL. Quæ Cæsar reipub. ego eram illi omnia. eram illi à consiliis, etsi nihil unquam ageret consilio: à secretis, quum nihil haberet secreti, ne latrinam quidem: ego fundebam ei aquam lavandis manibus, quas nunquam abluebat: ego servabam ejus thesaurum. APIC. Quem thesaurum? ABLI. Shedas aliquot pessimarum cantilenarũ, quas tineæ exede-

exedebant, & opici mures arrodebant. APIC. *Imò docti mures, qui malis poëmatis dentem infigebant.*

Es tu] prima pars de conductione Apicii coqui. Ubi primum observabis, quòd coqui apud veteres domi in servitiis nõ erant, sed ex macello conducebantur, utpote publici, quos nunc popinones vocamus, à popina publica coquina, qui suos advẽtores lautius & melius accipere soliti sunt : qui etiam ganeones dicuntur à ganea. Quãquam & ii popinones ganeonesq; dicuntur, qui popinas & ganeas frequentant,

Adventores] Advenas, hospites, peregrinos.

Bene est] Apicium advenientem salutat Lucullus conductor.

Heus] Secunda pars est de præceptis Apicii popinonis.

Lare] Larem sumit pro foco : per metonymiam adjuncti pro subjecto. Laribus enim sacer erat focus, & ipsi circa illum dispositi. Vide Foquelinum in 5. satyr. Persii.

Acapnis] Acapna ligna sunt, quæ ad ignem sicca habentur, & nullius fumi tædio arcent: ab α, id est, non, & καπνὸς fumus. Ulpianus ligna cocta vocat, in l. ligni 55. §. fin. De legat. 3. Vide Cœlium lib. 3. c. 48. Grapald. lib. 2. cap. 4.

Coctilitias] ubi ligna coquuntur, id est, siccantur.

Suffitor] Qui ignem buccis insufflat.

Auxillas] Auxilla olla parva est, secundũ Pompeium.

Sulphuratorum] Sulphurata sunt fomenta ad ignem excipiendum, sulphure in summo oblita, schwefelsteck. His olim vasa vitrea fracta permutabantur: Martialis.

Qui pallentia sulphurata fractis
Permutat vitreis. Et Juvenalis de calice parasiti:
Et rupto poscentem sulphura vitro.

Venduntur autẽ fasciculis. Unde Papinius in sylvis:

Quique comminutis
Permutat vitreis gregale sulphur.

Assulis] mit disen spänen.

Frustula] ex arboribus: quæ sunt fomenta ignis.

Batillo] Batillum è ferro dicitur, quo prunas & cinerem è foco tollere solemus, ut alio transferamus. ein feuerschauffel. Hor. l. 1. sat. 5.
prunæque batillum.

Metallarius] pro Alcumista dixit.

Furnum] Furnus est ubi panis coquitur: Fornax, quo metalla liquefiunt, aut hypocausta calefiunt.

Titionem] Torris est accensus stipes ligni: titio fumigans & extinctus. Sic pruna ignita est, carbo extinctus.

Cespitum] Nam in inferiore Germania alicubi cespitibus pro lignis utuntur. Virgulæ, gremia, sarmenta, superamenta materiarum, vitium stirpes & radices, arundines, papyrus, herbulæ, spinæ, vepres, editus boum, quibusdam pro ligno sunt, ait Ulp. in d. l. 55.

Pyrolabem] Novum vocabulum, à πῦρ & λαμβάνω, ut Motta hic: Latinè pruniceps. Forcipe autem, à Cynira primò inventa, calidum ferrum fabri versare consueverunt.

Testuacia] Testus furnus est & sub quo calido aliquid coquitur: ut testuacia. Est autem testuacium condimentum ex variis esculentis, ut Varro de lingua Latina.

Cacabum] Cacabus, teste Varrone, vas quo tuceta, carnes & pulmentaria coquuntur.

Cucumam] Cucuma vas ad coquinam. Utitur Petronius Arbiter in Satyris.

Chytropode] Chytropus olla est cum pedib. Sunt etjam chytropodes ollarũ sustentacula, τῆς χύτρας πόδες.

Verua] Veru, quasi vertu, à vertendo, cuspis ferrea est, qua carnes ad ignem torrentur, ein bratspieß. Virg.
Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis.

Pingua-

Pinguaria] In quæ decidit pingue carnium cum aſſantur, bratpfannen.

Lupum] Lupus ein hecht. Ex Terentio hæc phraſis eſt.

Exenterabis] Exenterare piſcem, eſt interanea demere, ein fiſch außnemen. Sic leporem exenterare dicimus.

Stipitem] Metaphora eſt, pro homine ſtupido.

Saperda] Saperda nomen a ſapiendo deductũ videtur, pro ſcito & verſuto. Saperdam Ponticum eſſe obſonium Athenæus lib. 3. ſcribit. Unde Perſius ſatyr. 5. Saperdamq; advehe Ponto. Paulò poſt idem Athenæus tradit Coracinum, id eſt, piſcem à nigrore ſic appellatum dici Saperdam, qui in Mœotide habeatur optimus. Quidam laridum & ſuccidiam interpretantur. Vide Cœlium lib. 13. cap. 26. Jovium in lib. de piſcibus. Lucianum in Dialog. ἑταιρικοῖς.

Tudiculam] Tudicula cochleare majus dici poteſt, quo utuntur coqui & ancillæ ad complura condimenta paranda. Grapald. lib. 2. cap. 4.

Hoc eſt] Metaphoræ hîc ſunt in fulmine & tridente. Fulmen Jovi tribuitur à poëtis & pictoribus: tridens Neptuno.

Urnarium] Urna vas eſt aquarium: hinc urnariũ, genus menſæ quadratæ, ſic dictum (ut refert M. Varro) quod urnas ibi potiſſimum habebant in culina cum aqua poſitas.

Labro] Labrum hîc eſt lapideum receptaculum aquæ, ein brunnentrog oder kaſten.

Imperator] Imperator apud Roma. olim Prætoribus magnarum laudum titulus fuit. Milites enim eum, cujus auſpiciis rem contra hoſtem bene geſſiſſent, Imperatorem publica acclamatione vocabant. Germanis ein Feldobriſter. Vide Alexand. ab Alexandro lib. 1. cap. 2.

Onocentron] id eſt, aſini ſtimulum, ὄνου κέντρον.

Epixenio] Ἐπίξηνον truncus eſt, in quo coqui ſecant

carnes, ein hack oder fleischbanck. Utitur Aristophanes in Acharnensibus. Vide Cœlium.

Tyrocnesti] Tyrocnestis ferreum instrumentum est ad coquinam, quo asperè foraminato, caseus minutatim teritur, ein Reibeisen.

Lecytho] Lecythus, λήκυθος, ampulla olearia est. Hieronymus Regum tertio: Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur. Eandem & capsacem appellat in epistola ad Eustochium: quo verbo utitur & Cyprianus lib. 2. Epistolarum: Fidelia farris non deficiet, & capsaces olei non minuetur. Proverb. Lecytho pinguior.

Mortarium] Mortarium vas lapideum vel æreum, in quo tundunt terúntve pistillo, quæ resolvenda sunt: ut autor est Nonius, ein Mörser.

Quæso cantilla] Tertia pars de Cantionibus ad fallendum laborem.

Ego nolo] Spartianus in vita Adriani Imp. scribit, Florum quendam poëtam Adriano hos versus exhibuisse:

> Ego nolo Cæsar esse,
> Ambulare per Britannos,
> Scythicas pati pruinas.

Huic mox respondit, deridens ejus adulationem:

> Ego nolo Florus esse,
> Ambulare per tabernas,
> Culices pati rotundos.

Vide Crinitum lib. 15. cap. 5.

Vt sapiant] Martialis est hoc carmen. Betæ rote rüblin. Vide Proverb. Betizare & Blitei.

Loripede] claudo. proverb. Loripedem rectus derideat.

Et gravis] Ex Virgilii Ecloga 6. de Sileno.

Claudere] Est etiam Martialis lib. 13. Responsio autem ad hanc quæstionem hæc est: quod olim, ut ebrietati obluctaretur, eamque prohiberet, in cœnæ fine lactuca sumta est: pòst verò ad conciliandam ὄρεξιν in cœnæ principio sumi cœpta est.

Filia]

Filia] Etiam Martialis est. Lucanica genus farciminis est è suilla carne, ein wurst. Dicta à Lucanis populis, à quibus milites Rom. eam facere didicerunt, autore Varrone. Ejus compositionem docet Apicius.

Ῥαψῳδεῖν] à ῥάπτω consuo & ᾠδὴ versus: est versus contexere seu consarcinare, versuum centones recitare. Hinc Rhapsodiæ Homeri, pro carminibus Homeri collectis.

Calabria] Regione in extrema Italia.

Bulimiam] Bulimia à βου particula intendendi, & λιμὸς fames: est insatiabilis edendi aviditas: quæ etiam κυνορεξία, id est, canina fames dicitur. Vide proverb. Saguntina fames, & βουλιμιᾷν.

Culinariam] subaudi artem: ellipsis est vulgaris, ut cum dicimus oratoriam, poëticam, subintelligendo artem.

Opici] id est, obscœni.

Sylva vocum simplicium.

Popino ein Koch.

Popina ein Garkuche.

Ganeo der sich gern in den Schenckstetten vnd Gartkuchen finden lest.

Ligna coctilia gedörrt holtz.

Taberna coctilitia ein ort da man holtz dört.

Ligna acapna Holtz das nicht räuchet.

Suffitor der das Feuer auffbläset.

Olla ein hafe.

Auxilla ein häfelin.

Sulphurata schwefelhöltzlein.

Fomes zundel.

Assulæ spän.

Batillum ein feuerschauffel.

Torris ein brand.

Titio ein brand der außgangen ist.

Pruna ein glüend kohl.

Carbo erloschne kohl.

Furcilla ein gäbelin.
Pyrolabes, forceps ignaria, pruniceps, ein feuerzang.
Testuacia, was man inn einem pastetenhafen kochet oder bachet.
Ahenum kessel.
Cacabus ein hafen. Cucuma idem.
Chytropus, ein hafen mit füssen/ stollhafen. Item ein dreyfuß.
Veru ein bratspieß. quasi vertu, à vertendo.
Pinguaria bratpfannen die man vnter den braten setzt.
Bracca ein schurtz wie die Köch tragen.
Tudicula kochlöffel.
Urnarium wasserstein.
Labrum brunnentrog.
Epixenium hackbanck/ fleischbanck.
Tyrocnestis reibeisen.
Lecythus ölkrug. Capsaces, idem.
Mortarium mörsel.
Pistillum stössel.
Bulimia ein grosser hunger.
A consiliis, ein Rath.
A secretis, ein Secretari.

TRICLINIVM.

Aristippus, Lurco.

Hic dialogus cum duobus sequentibus cohæret. hic enim continet descriptionem convivatoris & triclinii: sequens convivii, tertius ebrietatis. Habet autem duas partes, initium & narrationem. Triclinium autem est locus dictus à tribus lectis. Veteres enim pransuri vel cœnaturi, lectos accubitorios plerunque tres solebant sternere. Vide Castilionium in lib. 6. Vitruvii cap. 5. Baysium de vasculis. Aristippus Socratis discipulus fuit, & ab eo fluxit Cyrenaica disciplina. Vixit n. molliter,

liter, ſumptuosè, voluptuariè, omni unguentorum, veſtium, mulierum luxuria conquiſita, vitam beatam in voluptate locans. Παριόντα ποτὲ αὐτὸν λάχανα πλύνων Διογένης ἔσκωψε καί φησιν· εἰ ταῦτα ἔμαθες προσφέρεσθαι, οὐκ ἂν τυράννων αὐλὰς ἐθεράπευες. ὁ δὲ, καὶ σὺ (εἶπεν) εἴπερ ᾔδεις ἀνθρώποις ὁμιλεῖν, οὐκ ἂν λάχανα ἔπλυνες.

A*RIST. Quid tu tam ſerò ſurgis, & quidem ſemiſomnis? LVRC. Mirum eſt me eſſe toto hoc die experrectum, adeò heri edimus & bibimus. ARIST. Imò ut apparet devoraſti, ingurgitaſti, obruiſti te epulis, & vino, ſed ubinam oneraſti celocem? LVRCO. Apud Scopam in convivio. ARIST. Quin potius more Græco* συμπόσιον *vocaris, quàm Latino verbo convivium? LVRCO. Bucca buccam impellebat, intrituræ & condimenta vellicabant atque inſtigabant deſidem ſtomachum, & appetentiam non patiebantur delaſſari. ARIST. Refer quæſo ordine omnia, ut vel auditione ipſa videar mihi intereſſe, & quaſi vobiſcum potare: ut ille, qui in caupona Hiſpaniæ duos grandes panes comedit ad nidorem perdicis aſſæ, quo nidore utebatur pro obſonio. LVRC. Quis enarrarit omnia? majus negocium id fuerit, quàm vel emiſſe, vel apparaſſe, vel (quod omnia ſuperat) comediſſe. ARI. Adſideamus in hoc ſaliceto, ad crepidinem hujus ripulæ: & quando ſumus ocioſi, pro collocutione aliis de rebus utemur hac ipſa, gramen erit nobis vice pulvinorum, innitere hac ulmo. LVR. In herba? an non humor nocebit?*

1. Initium.

cebit? ARIST. *Quid? insanis, humor in ortu caniculæ.* LVR. *Antea recusabam, nunc animus prurit mihi recensere tibi plus quàm postulas. De convivio solum quærebas, accipies etiam de domino, & de triclinio: rogabas ut loquerer, efficiam ut mox paulò silentium roges, indicas, imperes: ut Arabius tibicen, qui ad canendum obolo conducitur, ad tacendum tribus.* ARIST. *Tu verò quantum libuerit, non eris molestus: quandoquidem in opaco loco consedimus, & orationem tuam carduelis illa vel adjuvabit, vel ad harmoniam moderabitur: ut orationem C. Gracchi servus fistulator.* LVR. *Quid isthuc est rei?* ARIST. *Postquam tu feceris narrandi finem, audies de Gracchis & graculis, & de Græculis.* LVR. *Deambulabamus forte transverso foro, ego & Thrasybulus: nacti plusculum ocii quàm solemus, adjunxit se nobis Scopas. Is à nobis post primas salutationes, & blandum congressum, cœpit vehementer contendere: ut postero die, qui hesternus fuit, apud se essemus. excusare nos primum, alius alia: ego autem vadimonium grave & apud prætorem valde irritabilem. Sed ille, ut libenter ostentat suam magnificentiam, quasi de capite ageretur, orsus est accuratum sermonem. Quid multa? addiximus, ne molestus esse pergeret.* ARIST. *Scin' quænam fuerit causa convivii?* LVR. *Quæ tandem quæso?* ARIST. *Est quidem ipse homo locuples, ornatus*

II. Narratio. Descriptio Scopæ.

natus argento, veste, supellectile: sed emerat phialas argenteas tres deauratas, & pateras sex. perisset precium, ni aliquos invitasset, quibus ostentaret: & alioqui eum ille existimat esse divitiarum fructum. Habétque uxorem, à qua extimulatur ad profusionem, quam illa magnificentiam nuncupat. LVR. Heri ergo sub meridiem convenimus in ejus triclinium. ARIST. Qualis erat cœnatio? LVR. Hypethra, in opaco frigore: omnia sanè apparata, ornata, exculta: nihil deerat ad elegantiam, splendorem, & lautitias. Plane primo ingressu exhilarati sunt omnium oculi & animi, aspectu illo pulcherrimo atque amœnißimo. Erat abacus ingens, plenus bonis vasis materiæ omnis, ex auro, argento, cristallo, vitro, ebore, murrha: alia etiam vilioris materiæ, stannea, cornea, ossea, lignea, testacea, seu figlina, in quibus ars commendabat vilitatem substantiæ. nam erant toreumata permulta, omnia expolita, extersa, fulgor penè perstringegebat oculos. Illic vidisses duo magna malluvia argentea, oris deauratis: umbilicus erat aureus, cum insignibus illius. Habebat utrumque malluvium suum gutturnium, quorum epistomium erat deauratum, stabat & alterum aquiminarium vitreum, fistula deaurata cum pollubro figlino, operis Malacensis, probe sandaracato. Phialæ omnis generis, & argenteæ duæ ad vinum generosißimum. ARIS. Ad usum meum ampullas

Descriptio cœnationis.

Apparatus descriptio.

pullas vitreas malim, aut etiam testaceas, ex iis quæ lapideæ dicuntur. LVRC. *Quid facias? ita est hominum ingenium: non tam in his quæritur commoditas, quàm opinio divitiarum.* ARISTIP. *Isti opulentissimi sæpius videntur aliis tales, sibi inopes, ideo nullus finis proferendi & ingerendi oculis, præsertim qui nullam habent aliam bonam artem, qua fidant. Sed perge.* LVRC. *Erat cymatium abaci tapete villoso tectum, ex Turcia usque allato, positæ erant duæ mensulæ procul ab abaco, cum quadris & orbibus argenteis: unicuique additum erat suum salinulum, cultellus, panis & mantile. Sub abaco rifrigeratorium, & œnophora grandia. Tum sedilia varia, sellæ, bisellia, subsellia: & dominæ sella plicatilis parata, visendi operis, cum pulvino serico, & suppedaneo.* ARISTI. *Pone tandem mensam, & explica mappam, nam mihi intestina præ fame rugiunt.* LVRC. *Erat mensa cibila ingens, segmentata, operis tessellati antiqui, quæ fuerat principis Dicæarchi.* ARISTIP. *O mensa antiqua, quam dispari domino.* LVRC. *Illam ipse emit in auctione satis magno, solum quòd illius fuisset, ut aliquid haberet principis.* LVR. *Datur aqua lavandis manibus, primùm magnis recusationibus & invitationibus mutuis, & cedendo invicem.* ARIST. *Idem factum est in consessu, quum quisque se inferiorem alterò faceret, illum extolleret, comitate*

tute arrogantissima, quum unusquisq; potiorem se reliquis omnibus censeret. LVRC. *Sed dominus jure suo distribuit loca, sacrata est mensa à puerulo breviter, & perfunctoriè, & non sine rhythmo: Quod appositum est, & apponetur.* CHRISTVS *benedicere dignetur. Explicat quisque suum chiromactrum, & injicit super humerum sinistrum: hinc cultellulo repurgat panem, si quid non satis putabat à ministro purgatum. nam decrustatus erat appositus.* ARIST. *Sedebatis commodè?* LVRC. *Nunquam commodius* ARI. *Non potuisti malè prandere. nam reliqua, sat scio, suppeditatum iri redundanter, si qua modò fuerant in macello.* LVR. *Nusquam verius. copiáque ipsa nocet. Astat mensæ structor, cultellos & furcinulas componens. ingreditur magna pompa architriclinus cum longo agmine puerorum, & exoletorum, qui gestabant fercula primi missus.*

Quid tu] Initium dialogi cum circumstantiis temporis & loci, Tempus hîc primò notatur.

Celocem] Allegoria est ab onerantibus naves & commeatu instruentibus. Celox enim genus navigii est. Vide Bayfium de re navali.

Scopam] De convivio apud Scopam, qui ruina conclavis periit, vide Ciceronem lib. 2. de oratore.

Symposium] συμπόσιον Latinè compotatio. Latini convivium nominarunt, quia vitæ conjunctionem habet. Cicero in Catone.

Refer] Propositio dialogi.

Quis enarrarit] Attentio.

Assi-

Assideamus] Locus dialogi.

Crepidinem] Marginem.

Ulmo] Rüstbaum.

Caniculæ] Intelligit Sirium : cujus exortus æstum intendit in æstate, der Hundsstern.

De convivio] Partitio & docilitas.

Roges] Incrementum verborum.

Arabius] proverb. est Arabius tibicen, de eo qui à semel cœptis nunquam desistit.

Fistulator] Gracchus servum, literatum hominem & peritum, post se occulto loco habebat, qui concionanti inflaret eburneola fistula sonum, quo illum aut remissum excitaret, aut à cõtentione revocaret. Cicero lib. 3. de oratore ad finem. Quintil. lib. 1. cap. 10. Gellius lib. 1. cap. 11.

Deambulabamus] Secunda pars Dialogi est narratio, continens descriptionem Scopæ, cœnationis & apparatus.

Vadimonium] Vadimonium erat certa verborum formula in judiciis olim usitata, qua actor reum vadabatur, id est, vades sive spõsores petebat, fore ut certo die se in jure sisteret. Vades autem dicti sunt, qui pro altero vadimonium promittebant; dictosq; putat Acron, quòd qui eos dederat vadendi haberet potestatem. Vide Sigonium lib. 1. de judiciis cap. 20. Rævardum cap. 5. ad ll. XII. tab. Proverb. Dignum propter quod vadimonium deseratur.

Prætorem] Prætor est magistratus jus dicens. Dictus à præeundo, quasi præitor. Vide Sigonium lib. 1. de judic. cap. 7.

Est quidem] Descriptio Scopæ ab adjunctis per distributionem.

Patera] Phiala φιάλη Græcis: dicta quasi πιάλη, ἡ τὸ πιεῖν ἄλις παρέχουσα. μείζων γὰρ τοῦ ποτηρίου. Baysius de vasculis. Patera à patendo, ein schal.

Qualis erat] Descriptio cœnationis, id est, loci ubi cœnatum est.

Hype-

Hypethra] id eſt, ſub dio, in media area aut impluvio. Hinc hypæthræ ambulationes, Vitruvio autore: & ædificia hypæthra, non contecta, ſed ſub dio.

Abacus] Deſcriptio apparatus, per partes, ut ſunt abacus, menſulæ, ſedilia, menſa.

Vaſis] Deſcriptio vaſorum per diſtributionem ex materia, forma, adjunctis. Vide Bayſium de vaſculis.

Murrha] Murrha humor eſt ſub terra concretus, qui ad vaſa murrhina effoditur. Lucanus: Non auro murrháve bibunt. Vide Plin. lib. 33. Grapald. lib. 2, cap. 3. Bayſium de vaſculis.

Toreumata] Toreumata propriè dicuntur opera torno facta, ἀπὸ τοῦ τορεύειν, item ſculpta & celata. tailles en boſſe. Hotoman. in Verrina 6.

Aquiminarium] Vas ad aquam continendum, quod & aquarium. Vide Pomponium 2.

Pollubro] Malluvio, Handbecken.

Malacenſis] Malaca eſt civitas Hiſpaniæ.

Sandaracato] gefirneuſt. Juniperus gummi, ad nihil utile, autore Plinio producit. Hoc tamen mola truſatili in pollinem redactum, ſimile eſt thuris pollini. Medici Sandaracam, indocti Vernicem vocant. Grapald. lib. 1. cap. 6. Sed Vitruvius lib. 7. cap. 10. & ibi interpres ejus reclamant.

Cymatium] margo eſt abaci, der rand an dem büffet.

Refrigeratorium] Apyroton Græci vocant, id eſt, vas frigidariũ, in quo vitreo, porcellanico, argẽteóve & pauperib. figlino frigida pleno, vina immiſſis poculis refrigerari ſolent: veluti olim apud Rom. nive mẽſib. æſtivis ſervata refrigerabãtur. Grap. li. 2. c. 3.

Oenophora] Kandel. Oenophorum ex argilla, ſtanno vel argento vas ad ferenda vina idoneum. Grapald.

Sellæ] Sella qua unus ſedet, biſellium ubi duo, ſubſellium ubi plures. Grapald. lib. 2. cap. 3.

Cibila] id eſt, eſcaria à cibis. Varro. Vide Bayſ. de vaſculis, & Grap. lib. 2. c. 3. Segmentata, von ſtücken/ operis teſſellati, ein verſchroten werck.

O menſa] Exclamatio ex ſecundo officiorum Ciceronis. Deeſt autem verbum dominaris.

Chiromactrum] mantile, ἀπὸ τῆς χειρὸς καὶ μάττω. Athen. in fine lib. 9. χειρόμακτρον καλεῖται, ᾧ τὰς χεῖρας ἀπεμάττοντο ἀμολίνῳ.

Copiaque] Hemiſtichium Ovidianum.

Structor] Structores dicuntur, qui menſas & cibaria curant, ut ſcribit Servius: qui & pulmentaria cultello ſcindunt, in fruſta dividentes: non ſine fuſcinula vel furcilla è ferro, argentóve, quam manu ſiniſtra tenent, ut ſcindant elegantius. Qui verò princeps eſt convivii architriclinus dicitur: qui coronis uti olim ſolebant. Grapald. lib. 2. cap. 3.

Exoletorum] puerorum grandiorum.

CONVIVIVM.

Scopas, Simonides, Crito, Democritus, Polæmon.

De Scopa (ut præcedente dialogo diximus) vide Cicero. lib. 2. de Orat. de Polæmone vide Valer. Max. lib. 6. cap. 11. Convivii autem tres ſpecies ſunt: Εἰλαπίνη, magnificum & ſplendidum convivium. Γάμος, nuptiale conviviũ. Ἔρανος, quando ſuo quisq; ſumtu & cibo adveniebat. Homerus eas formas ſimul complectitur.

εἰλαπίν' ἠὲ γάμος, ἐπεὶ οὐκ ἔρανος τάδε γ' ἐστίν.

Hujus autem dialogi partes ſunt tres, Initium, Apparatus, Finis. Apparatus duas menſas continet.

- In menſa
  - Prima
    - Cibus
      - Panis.
      - Obſonia
        - Carnes.
        - Pultes.
        - Piſces.
    - Potus
      - Vinum.
      - Aqua.
      - Cerevifia.
      - Pocula.
  - Secunda.
    - Fructus
    - Caſei.
    - Tragemata.

SCOP. *Ubi nobis Simonides?* CRIT. *Illico dixerat se venterum, simulac convenisset debitorem apud forum.* SCOP. *Rectè habet, à debitore facilius se extricabit, quàm à creditore.* CRITO. *Qui istuc?* SCOPAS. *Sicut in victoria, belli conditiones fert victor, non victus. Nam à debitore, quum ipse idem volet: à creditore, quum alter. Sed convenistisne omnes, ut erat condictum, relicta domi severitate, afferentes vobiscum hilaritatem, lepôres, venustates, gratias?* CRITO. *Plane ita spero: & erimus, sicut monet M. Varro, belli homines.* SCOP. *Reliqua meæ curæ sunto.* CRITO. *Ecce tibi Simonides.* SCOP. *Feliciter.* SIM. *Et vobis faustè.* SCOP. *Expectatißimè.* SIM. *Planè rusticanè. nam ad prandendum eram invitatus, non ad expectandum. Sed quæso, fui vobis diu in mora?* SCOP. *Non valdè.* SIM. *Cur non accumbebatis sine me? essetis saltem proœmiati de fructibus, quibus ego non admodum capior.* SCOP. *Bona verba, te absente assedissemus?* CRIT. *Satis comitatum, exordiamur jam opus. Optimum panem & levißimum. non plus habet ponderis, quàm si esset spongia: siligineus, sitanius: industrium habetis pollinctorem.* SCOP. *Roscius est pistrini curator.* SIMON. *Nunquámne in id conjicitur.* SCOP. *Absit, tam frugi servus?* DEMO. *Adfer mihi autopyrum.* SIMON. *Mihi verò secundarium, aut typhaceum.* SCOP. *Cur talem?*

I. Initium.

II. Mensa prima. Panis.

SIMON. Quoniam audivi,& ita sum expertus, minus me esse, quum panis non est sciti saporis. SCOP. Heus puer, adferto ei panem cibarium,& vulgarem, etiam ex atro, si ita mavult. ita demum jucundißimè convivabimur,si quisq;, quod maximè collubitum erit, sumserit. POL. Panis hic, quem tu tantopere probas, spongiosus, aquaticus est, malo densiorem. CRITO. Mihi verò non displicet spongiosus, modò ne sit speusicius, hic verò etiam hectas attollit, quod focacei solent facere, quum sit, uti satis apparet, furnaceus. POL. Cibarius hic panis & acerosus est, & acetosus, typhaceum dicas. SCOP. Sic consueverunt nostri agricolæ triticum omne, quod huc important, acerare prius in villa, & miscere multis generibus seminum: sapor autem ex fermento est nimio. POL. Nullum hominum genus est hoc fraudulentius. non malefaciunt, nisi quum nesciunt. CRIT. Panis hic non est satis fermentatus. DEMO. Puta te hodie Iudæum, qui azymo vescebantur jussu Dei. CRI. Id quidē, quod homines essent peßimi, ut interdicta est illis suilla, qua nihil palato gratius: nec, si moderatè sumas, salubrius. Et quidem azyma jußi sunt commedere cum lactucis agrestibus, quæ sunt perquam amaræ. POL. Illa omnia sensus habent altiores, omittamus hæc. SCOP. Et quidem disputationem de pane. Si de obsoniis fuerit tanta controversia, magna erit in toto convivio discordia.

CRIT.

CRIT. *Accidet nimirum, quod Horatius inquit:*

Tres mihi convivæ prope dissentire videntur,
Poscentes vario multum diversa palato.

SCOP. *Appone lances illas & tympana cum cerasis & prunis, & malis granatis, & persicis pomis & persicis præcocibus.* POL. *Cur Mar. Varro dixit, convivas non debere excedere numerum Musarum, quum de numero non constet? alii enim ponunt tres, alii sex, alii novem.* CRIT. *Dixit tanquam si constaret esse novem, & ita erat vulgò receptum. unde Diogenis jocus in ludimagistrum, qui paucos haberet discipulos, depictas autem Musas in ludo: Præceptor, inquit,* σὺν ταῖς μούσαις *multos habet discipulos.* DEMO. *Sed est ne verum, Persas pomum hoc, quod apud ipsos esset lethale, invexisse in Græciam, ad pestem eorum quibuscum bellum gerebant?* CRIT. *Sic accepi.* DEM. *Admirabilis est in ingeniis terrarum varietas.* CRIT. *India mittit ebur, inquit Virgilius, molles sua thura Sabæi. Hem cydonipersica.* SIMON. *Novum insitionis inventum, priscis incognitum. Cedo nobis pateram illam cum ficis duricoriis, qui sunt (ut nostis) prodromi.* SCOP. *Satis est fructuum. expleamus nos rebus aliis salubrioribus corpori.* CRIT. *Quid his salubrius?* SCOP. *Nihil, si salubre & sapidum idem sunt, sicut in meridiano somno.* CRIT. *Ego condono illis nocumentum propter oblectamentum.* SCOP. *Non meministi versiculum Catonis:*

Fructus.

tonis: Pauca voluptati debentur, plura saluti! Dato singulis singulas gabatas cum jure carnium, ut sorbeant. id verò & calfaciet intestina, & blandè abluet ad molliendum ventrem. SIMO. *Profectò puer amo te de suilla hac salita. ô pernam sapidissimam! majalis est. Brassicas illas cum larido, si mihi vis auscultare, redde coquo, per hoc quidem temporis, aut serva in brumam. Lucanicæ hujus scinde mihi bucceam unam aut alteram, quo suavius bibam primum cyathum.* CRIT. *Pareamus medicorum consilio, admonentium ut porcinæ addatur merum. funde vinum.* SCOP. *Sequitur actus fabulæ, fortassis hoc anni tempore præcipuus. Spectate hujus actus apparatum. Primùm omnium à caliculis, custos abaci, scyphos exposuit vitreos crystallini vitri, cum vino albo purissimo: aquam putes solo aspectu. Sanmartinium est, & partim Rhenense non infectum: ut solent in Belgia: sed quale in media Germania bibitur. Oenophorus relevit hodie serias duas, alteram vini Helvelli, seu flavi ex agro Parisiensi: alteram sanguinei Burdegalensis. Habetis in apyroto alia parata, fuscum, Aquitanicum, & nigrum è Sagunto: petat quisq; ex sententia palati sui.* CRIT. *Quid potest nunciari lætius? ũt nihil est durius quàm perire siti: Ego vero mallem optimam nobis aquam prospexisses: hunc nuncium audivissem libentius quàm de vino.* SCOP. *Nec ea deerit.*

Carnes.

Vinum.

SIMON.

SIMON. *Nuper quum essem in urbe Roma, bibi apud Cardinalem quendam vina generosissima, omnifariam saporis, nam eram præfecto cellæ vinario perquam familiaris: vinum dulce, acutum, lene, suave, austerum.* DEMOC. *Mihi vehementer placet aigleuces.* POL. *Sic fere Belgicis fœminis.* SIMON. *In pagis quibusdam Galliæ flocces apponuntur, secundarium autem vinum & tertiarium habent in deliciis, sed ea villa sunt magis quàm vina, & alioqui vinum Gallicum toto genere nec aquam, nec ætatem fert: itaque paulò post quàm est diffusum, bibitur, quippe post annum inclinat ilicò, & fit dubium, tum fugiens, & acuit, quod si manserit diutius, emucet, & in vappam vertitur. Hispanum vinum & Italicum bene fert & aquam, & ætatem.* DEMOCRIT. *Quid rei est vinum fugiens? vientur probè dolia, & obseretur cellis, imò & domus claudatur si sit opus.* POL. *Ut poma fugientia, quæ ætati cedunt, nec servantur, & discedere vulgò dicimus: cujus contrarium est vinum consistens.* DEMO. *Funde mihi prius aquam ad dimidium calicem, super hanc infundes vinum more veteri.* CRITO. *Imò & hodierno multarum gentium: Galli & Germani contrà faciunt.* DEMO. *Quæ nationes volunt bibere aquam vinatam, aquæ addunt vinum: quæ vinum aquatum, vino superinfundunt aquam.* CRITO. *Quæ vero vino aquam non*

 adsun-

adfundunt, quid bibunt? DEM. *Vinum purum & putum.* CRIT. *Etiam, nisi prius à vinario sit irrigatum.* POL. *Baptizare id vocant, ut vinum sit Christianum: ea erat meo tempore elegantia philosophica.* DEMOC. *Illi baptizant vinum, & seipsos exbaptizant.* POL. *Pejus agunt, qui injiciunt calcem, sulphur, mel, alumen, & alia dictu tetriora, quibus nihil est corporibus perniciosius, in quos publicè deberet animadverti, ut in latrones aut sicarios: inde sunt enim incredibilia morborum genera, & potissimum arthritica.* CRIT. *Ex conspiratione cum medicis id agunt, ut utrique rem augeant.* DEM. *Nimis mihi porrigis plenum calicem: deple, quæso, eum aliquantum, ut sit locus aquæ infundendæ.* CRIT. *Funde mihi in scyphum illum coloris castanei. Quid rei est?* SCOP. *Nux prægrandis Indica, ab labris argento circumclusa: visne in culullo illo ligni hebeni? quod ferunt esse saluberrimum. Ne addas tantum aquæ: nescis vetus verbum: Perdis vinum infusa aqua?* DEM. *Imo perdis utrumq;: aquam & vinum.* POL. *Malo utrunque perdere, quàm ab alterutro perdi.* SCOP. *Lubétne potare more Græco ex illis pateris, & capacioribus poculis?* DEMO. *Minimè verò. Admonebas nos modò antiqui proverbii, vicissim admoneo te præcepti Paulini: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Et Servatoris nostri: Videte ne graventur corda vestra crapula &*

Pocula.

la & ebrietate. CRIT. *Unde est hæc frigida, tam pura & pellucida?* SCO. *E fonte proximo.* CRIT. *Ad vinum diluendum malim cisternam, modò defecatissimam.* DEMOC. *Quid? putealem?* CRIT. *Usibus lavandi aptior est, quàm bibendi.* POL. *Fluvialem commendant plurimi.* CRIT. *Rectè, si fluant amnes per venas auri, ut ferè in Hispania: & sit quieta, & liquida.* SIM. *Mihi verò in phiala Samia illa adfer aliquantum cervisiæ, quam puto refrigerando corpori hoc æstu utilissimam.* SCOP. *Ex qua tandem cervisia?* SIMO. *Ex tenuissima: nam aliæ nimium incrassant spiritus, & reddunt obesum corpus.* POLAE. *Mihi item dato, sed in vitro illo terete.* SCOP. *Curre ad culinam, quid illi cessant? quin mittunt missum alium? vides jam hinc neminem attingere? Adfer pullos gallinaceos, elixos cum lactucis, buglossa hortensi, & intubo, vervecinam quoque & vitulinam.* CRIT. *Adde etiam in scutellis paulum sinapis, aut petroselinati.* DEMOC. *Violenta res videtur sinapis.* CRIT. *Non admodum congruit biliosis: iis tamen, qui crassis & frigidis humoribus redundant, haud inutilis.* POL. *Idcirco sapiunt populi septentrionales, quibus illa est magno usui, præcipuè cibis crassis & duris addita, ut bubulæ & salsamentis.* SCOP. *Hoc loco existimo pultes & ptisanas venturas in tempore, leucophagum, similaginem, amylum, oryzam, vermiculos: edat quis-*

Aqua.

Cervisia.

Pultes.

que ex quibus volet. DEMOC. Vidi qui à vermiculis hujusmodi vehementer abhorreret, quòd autumaret collectos fuisse ex terra aut cœno, & vixisse aliquando. CRITO. Scilicet metuebat, ne in aqualiculo suo reviviscerent. Oryzam ferunt nasci in aqua, mori in vino. Cedo igitur vinum. DEMO. Ne bibe statim à cibo calido, intermisce prius frigidi aliquid & solidi. CRIT. Quid? DEMOC. Crustam panis aliquam, vel turundam unam aut alteram carnium. SIM. Vah, pisces cum carnibus in eadem mensa? mare miscetur terræ? hoc vetant medici. SCOP. Imò hoc placet medicis. SIMON. Credo, quia illis utile. SCOP. Cur ergo vetant medici? SIMON. Erravi, à medicina prohiberi dictum oportuit, non à medicis. Sed qui sunt pisces isti? SCOP. Appone ordine, primùm lupum illum assum cum aceto & capparibus, tum passeres elixos, cum succo lapathi acuti, soleas frixas, lucium recentem & capitonem: lucium salitum serva tibi, thynnum assum recentem, & thynnum in salsamento, manas recentes frixas, crustulata, in quibus insunt mulli, barbati, murenæ & truttæ, multis conditæ aromatis, gobios frixos, cammaros & cancros elixos. Admisce scutellas cum intritis, alliato, piperato, erucato. SIMON. Ego vero de piscibus loquar, non edam. CRITO. Si Philologus cœperit de piscibus movere controversiam, hoc est, de re incertissima

Pisces.

ma & controversissima, incipite nobis lectulos insternere, hic erit cubandum. SCOP. *Nemo dignatur vel gustare, tolle hæc.* SIMON. *Atqui convivia olim Romæ lautissima, & (ut ipsi soliti erant dicere) pollucibilia ex piscibus constabant.* CRIT. *Ita sunt mutata tempora, etsi hoc etiamnum durat apud quosdam.* SCOP. *Importate assa, pullos, perdices, turdos, anaticulas, querquedulas, palumbos, cuniculos, lepusculos, vitulinam & hœdinam, & intinctus seu embammata, acetum, omphacium, oxypora, mala etiam medica, & cytronia, & olivas Balearicas conditivas, quassas, & in muria adservatas.* DEMOC. *Non adsunt Bethicæ.* SCOP. *Magis sunt saporis sciti Balearicæ.* CRIT. *Quid fiet grandibus illis belluis, anseri, cygno, pavoni?* SCOP. *Ostende tantum, & refer in culinam.* POLAE. *Hem pavonem! Ubi est Quintus Hortensius, cui erat in deliciis?* SIMON. *Tolle agninam.* SCOP. *Cur tolletur?* SIMON. *Quia insalubris: ferunt eam non alia exire, quàm qua intrarit.* CRIT. *Vidi quendam devorare ossa olivarum struthionicè.* SCOP. *Ex quibus carnibus sunt artocreæ istæ?* CRIT. *Hæc est ex cervina.* SCOP. *Hæc est damica, illa est, ut puto, aprugna.* CRITO. *Conditur as ipsas malim quàm carnes.* SIMON. *Planè ita est, etiam res amaras condimentum reddit suavissimas.* CRIT. *Ecquod est vitæ totius condimentum.* DEMOC. *Æquus animus.*

Aves.

CRIT.

CRIT. *Aliud quiddam ego proferam, amplius & augustius.* DEMO. *Quid tandem, hoc meo?* CRIT. *Pietas, sub qua & animi æquitas compræhenditur, & ad res universas asperas, faciles, medias, condimentum aptißimũ & jucundißimum.* SCOP. *Infunde vinum album Hispanicum in carchesium illud, & circumfer per convivas.* DEMOCR. *Quid paras agere? sub prandii finem, propinas nobis vinum forte ac generosum: dilutius erit posthac bibendum, si consultum cupimus valetudini.* SIMON. *Rectè mihi videris admonere: frigida enim oportet esse in convivio postrema, quæ pondere suo cibos ad imum ventriculum detrudant, & vapores caput impetentes cohibeant.* SCOP. *Tolle ista, muta orbes & quadras, da secundam mensam: nam nemo extendit usquam manum.* CRIT. *Adeò voravi initio avidè, ut statim amiserim appetitum.* DEMOC. *Ego item non appetitione, sed impetu feror ad primas dapes, inde me expleo.* POL. *Nescio quid edi de piscibus, id gustum meum prorsus retudit.* SIMON. *Tantúmme bellariorum apparatum, & cupedines, cùm nihil superest amplius cupediæ? pyra, mala, caseus multiplex, sed palato meo congruentißimus est hippax.* CRIT. *Non reor hippacem esse hunc, sed Phrygium, ex lacte asini, qualis è Sicilia usque advehitur, columellari forma, & quadra: qui cum frangitur, in laminulas finditur, sive philuras.* DEMOC.

Secunda mensa.

MOC. *Caseus hic, etsi Britannicus, fistulosus est, non erit mea utiq; sententia vobis gratus.* CRIT. *Sed neque hic spongiosus Hollandicus. Parmensis hic est bene compactus, & satis (ut videtur) recens: & ille Penafellius facilè cum Parmensi certarit.* DEMOC. *Non est Parmensis, sed Placentinus.* CRIT. *Etiam, si placet: vulgo Germanorum suavißim. est caseus vetus, putris, confriatus, & verminulosus.* SIM. *Qui talem edit caseum, sitim venatur: & edit, ut bibat.* SCOP. *Pistor dulciarius nimium moratur, quin adfert scriblitas, & artolagana testuacia, & sartaginea, conspersione in cacabum injecta olei ferventis, melle superfuso.* CRIT. *Caryotas da mihi aliquot, & ad edendum, & ad servandum: fortasse nocte hac nihil edam aliud.* SCOP. *Cape igitur spatalium hoc integrum: vin' ex malogranatis?* POL. *Heus puer, spolia nobis hanc palmam agrestem, & da quod est esui.* SCOP. *Potionis vos admoneo: scitis Aristotelis esse opinionem, tragemata esse inventa, ut ea nos ad bibendum invitent, ne cibus in arido coquatur.* CRIT. *Oportet ergò inventorem fuisse vel nautam, vel piscem, qui adeò timeret ariditatem.* SCOP. *Adfer ea, quæ solent vocari sigillum stomachi, post quæ nihil est nec edendum, nec bibendum: buccellatum, cydoniatum, coriandrum saccaro contectum: hoc verò manducandum est, non edendum: sed quod ex manso reliquum est aridum, expu-*

expuendum. Collige frusta & reliquias in canistris: adfer aquas odoriferas, rosaceam, flores mali medici, moscatam. POL. *Agamus Christo gratias.* PUER. *Agimus tibi gratias pater, qui tam multa ad hominum usus condidisti, annue, ut tuo favore ad cœnam illam veniamus tuæ beatitudinis.* POL. *Agamus nunc Domino gratias.* CRIT. *Age tu.* POL. *Imò agat Democritus, qui in hisce rebus multum valet.* DEMOC. *Gratias tibi non possum agere pro merito, hoc statu Reipub. vides enim omnia à Baccho perturbata: sed recitabo quas Dionysio egit Diogenes, nam mandavi memoriæ: tu labenti memoriæ, & linguæ titubanti, in tanta eluvione habebis veniam.* SCOP. *Dic quicquid libuerit, scribetur in vino.* DEMOC. *Defatigasti te ipsum Scopa, uxorem, famulos, famulas, vicinos, coquos, ut nos magis comedendo & bibendo delassares: Socrates sapienter, qui in mercatum celeberrimum ingressus exclamarit: O Dii immortales, quàm multis ego non indigeo! tu contra posses dicere: Hæc omnia quotula portio sunt eorum, quibus ego indigeo? Naturæ placent modica, & illis ea sustentatur, ac fulcitur: hæc tam multa, tam varia obruunt naturam. Meritò Plinius: Varietas ciborum homini pestilens, pestilentior condimentorum: referimus hinc domum gravata corpora: referimus animos obrutos ac demersos cibis & potionibus, ut nullo hominis offi-*

111. Finis convivii.

cio ritè poßimus fungi. Tu ipse judicato, ecquam tibi gratiam debemus. SCOP. *Haccine est gratia, quam habetis? sic rependitis prandium tam opiparum?* POL. *Ita planè: quod enim majus beneficium, quàm ut fias sapientior: tu nos domum remittis planè bruta: nos te domi tuæ volumus hominem relinquere, ut scias consulere tuæ ac alienæ valetudini, & secundum naturæ desideria vivere, non juxta corruptas ab stultitia opiniones. Vale, & sape.*

Ubi] Initium dialogi. Prima pars.
Debitore] Se extricabit.
Ipse] Simonides creditor.
Creditore] Se extricabit.
Alter] Creditor volet.
Satis] Altera pars dialogi, de duabus mensis seu apparatu & epulis convivii. Primò observa genera diversa panis.

Panis:
- Siligineus è flore seu polline farinæ, weißmel
- Sitanius, è novo frumento vix trimestri.
- Autopyrus, ex tritico cum furfure, Haußbrot.
- Secundarius, Rockenbrot.
- Typhaceus, von Welschem Wäitzen.
- Cibarius, vulgaris, ater.
- Spongiosus, hol/ luck.
- Aquaticus, verschwemmet.
- Speusicius, festinatione coctus. Speuticus.
- Fornaceus, supra focum coctus. (ϖτιλικὸς.
- Focaceus, in furno coctus.
- Acerosus, voll spreuer.
- Acetosus, sauer wie essig.
- Fermentatus, gehöfelt. Azymus, non fermentatus.

Vide

Vide Grapald. lib. 2. cap. 3. Alexand. lib. 5. cap. 21. Plinius lib. 18. cap. 11.

Comitatum] Civilitatis est satis.

Pollinctorum] Pollinctor qui pollinem facit. Grapald. lib. 2. cap. 11. Pollen est farina à furfuribus expurgatissima, Semelmehl.

Hectas] Bläterlein. Hecta quasi hicta, ab hiando; est pustula, quæ in coquendo pane solet assurgere: à qua dicitur res nullius precii. Festus.

Jussu] Exod. 12.

Obsoniis] Obsonium quicquid cum pane comeditur.

Appone] Secundò observa varia genera fructuum. Lances sunt vasa lata & rotunda, quibus edulia mensæ inferuntur: sicut & tympana. Breite schüssel.

Præcocibus] Præmaturis, frůzeitig. Præcox, præcocis.

Varro] apud Gellium lib. 13. cap. 11. Vide Athenæum lib. 1. Home. Iliad. β. Macrob. lib. 1. Sat. cap. 7. Cicero. lib. 1. Acad. quæstionum.

Musarum] De numero Musarum vide Tzezen in principio Hesiodi.

Μέσαις] Ex ambiguo jocus est. Nam σὺν ταῖς μέσαις, cum Musis, proverb. est: quasi Musis bene fortunantibus. Hic verò significat, connumeratis Musis.

Persas] Idem scribit Martial. lib. 13.

> Vilia maternis fueramus præcoqua ramis,
> Nunc in adoptivis Persica chara sumus.

Sed negat id Plinius lib. 15. cap. 13.

Virgil.] Primo libro Georgicorum. Sabæa est regio Arabiæ felicis. Strab. lib. 6.

Cydonipersica] vulgo melocotones: ex insitione mali cydoniæ & persicæ.

Duricoriis] Majora præposteris sunt fici præcoces & semper biferæ. Nam in mense maturescunt, & per vindemiam serotina, quæ à duro cortice duricoria dicta. Præcoces ficus Græci πρόδρομους vocant.

Dato] Tertio observa varia genera carnium.

Gaba-

Gabatas] profundas ſcutellas.
Majalis] porcus caſtratus, barg.
Brumam] breviſſimũ diem, circa ſolſtitium hyemale.
Actus] Metaphora ſumta à Comœdiarum actione.
Primùm] Quartò obſerva varia genera vini.

Vinum à
- Subjecta regione eſt Rhenenſe, Francicum.
- Adjuncto
  - Colore eſt
    - Flavum ſeu Helvellum,
    - Album, ſanguineum,
    - Fuſcum.
    - Nigrum.
  - Sapore eſt
    - Dulce, Acutum.
    - Lene, Svave,
    - Auſterum, Aigleuces.

Caliculis] Videtur hîc deeſſe, id eſt, aut ſimile quid, Nam cuſtos abaci dici poteſt etiam à calicibus.
Sanmartinium] Ex illo Hiſpaniæ oppido.
Belgia] Belgium in neutro melius dicitur, quam hodie vocant inferiorem Germaniam. Vide Cæſarem in lib. 1. de bello Gal. in principio.
Oenophorus] Nomen proprium hîc eſt. Græcis ſignificat eum qui vinum fert, der Keller.
Relevit] hat angezäpfft / auffgethan. Eſt autem ſeria vas fictile oblongũ, in quo vinum conditur. Terent. Relevi omnia dolia, omnes ſerias. Vide Grapald. lib. 1. cap. 3. Foquelin. in 2. ſatyr. Perſ.
Helvelli] Melius eſt Helvolum, id eſt, medium inter album & rubrum. Galenus ξανθὸν vocat. Columella uvas helvolas vocat, quas alii varias, neq; purpureas neque nigras: ab helvo colore. Grapald. lib. 2. cap. 3.
Sanguinei] dickrot / blutrot. Metaphora eſt.
Apyroto] vaſe frigidario, külwaſſer.
Aquitanicum] Ex Aquitania, regione Galliæ, hodie Vaſconia, Gaſconien.
Sagunto] urbe Hiſpaniæ. Vide proverb. Saguntina fames.
Aigleuces] Aigleuces vini dulcis genus eſt, cura quadam

dam fervere prohibitum: quasi ἀεὶ semper, λεῦκος mustum, gefeurter Elsasser/Weiberwein.

Flocces] Vini feces, autore Nonio, heffen. Gellius: Aplutam edit, & flocces bibit. Vinum secundarium (Latinè lora leiren / & Græcis deuteria) & tertiarium, fit maceratis aqua vinaceis post mustum acinis expressum: inter vina operaria numerandum, ut scribunt Plinius & Marcellus.

Villa] Columel. lib. 12. c. 40. Habetur & vinum, quod licet merum sit, terræ tamen altricis plerunque vitio aquatum gustu videtur: id villum rectè dicemus, quale dandum est pueris & spleneticis.

Toto genere] in gemein: vulgò regulariter & in universum.

Ætatem] id est, non est durabile.

Diffusum] è torculari, vel lacu, vel dolio in amphoras fusum. Solebant enim veteres è doliis vinum in cados, testas & similia vasa diffundere in multos annos. Cicero lib. 2. de finibus: quibus vinum diffusum è pleno sit œnophoro. Vide l. cui vinum. 6. l. vinum. 14. cum 2. seqq. De trit: vino vel oleo legat. Horat. lib. 1. epist. 5.

Inclinat] näigt sich. Observa vitia vini. Vinum inclinans, dubium, fugiens, acescens.

Dubium] fällt ab/wirdt vnbeständig.

Acuit] wirdt essig. Malim acescit.

Emucet] wird konig. Vinum mucidum, koniger wein.

Vappam] wirdt zu wasser. De hac voce supra alicubi dictum est.

Quid est] Locus est ex ambiguo, quod ex metaphora fugientis oritur.

Vientur] Viere est ligare, ait Festus: hinc vimina & vietores. Küffer, Büttner. Malim hîc, vieantur.

Ut poma] Explicatio metaphoræ per similitudinem à pomis sumtam. Poma fugientia, das nicht lägerobß ist.

Con-

Consistens] wirig.
More] Hinc Latinis verbum miscendi.
Purum putum] Proverb. est ex antiquitate sumtum. Putum enim dicebant veteres purgatum: unde & vites putare dicimus, & rejectamenta nucum aut similium rerum dicuntur putamina. Proverb. ortum videtur ex artificum officinis.
Vinario] œnopola, Weinschenck.
Publicè] Vide constitutionem imperii Friburgi editam anno 1498.
Latrones] Latro à latendo, ut Græcis λῃστὴς ἀπὸ λανθάνει. Sica (ut Josephus lib. 20. antiquit. cap. 7.) est gladius brevis instar acinacis Persici incurvus. Cicero pro Milone: Extorta est confitenti sica de manibus. Hinc sicarius, qui hominis occidendi causâ cum telo ambulat. Justin. in Instit. tit. ult.
Inde] Ratio ab effectis vini infecti, geschmirten weins. Unde rectè ille scripsit:

Qui bibit ingrato fœdatum sulphure Bacchum,
Ad Phlegethontæas se parat ille vias.

Arthritica] Arthritis, articulorum morbus est, à nomine ἄρθρον articulus, das zipperlein oder podagran.
Funde] Quintò observa varia genera poculorum, ut sunt scyphus, cyathus, culullus, patera, phiala, carchesius. Cicero in epistol. ad familiares: Illuseras heri inter scyphos.
Culullo] Culullus est fictilis calix, ein Kräußlein/ Grapald. Horat. in arte.

Reges dicuntur magnis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perspexisse laborant.

Hebeni] Ebenus arbor est, quæ cæsa durescit in lapidem. Lignum ejus nigrum est solidum, spissum & grave, quodq; in aqua mergitur. Ejus species est lignum Guajacum, vulgò Frantzosenholtz. Vide nostram physicam lib. 28.
Verbum] Proverb. Perdidisti vinum infusa aqua, ἀπώ-

λεσας τ οἶνον ἐπιχέας ὕδωρ.

Græco] Hinc proverb. Pergræcari.

Paulini] Ephes. 5. μὴ μεθύσκεσθε οἴνῳ, ἐν ᾧ ἐστιν ἀσωτία.

Servatoris] Christi. Lucæ 21. προσέχετε ἑαυτοῖς, μήποτε βαρυνθῶσιν ὑμῶν αἱ καρδίαι ἐν κραιπάλῃ καὶ μέθῃ. Dicta autem est crapula à capitis cõcussione. κάρα, πάλλειν.

Unde] Sextò observa varia genera aquæ, ut est fontana, è cisternis seu pluvia, putealis, fluvialis.

Cisternam] Ulpianus J.C. Cisterna aquam vivam non habet, & quidem cisternæ imbribus concipiunt, sed per glaream immissam & spongias purificatis. Differunt autem fons, puteus, cisterna.

Aquam
- Fundit
  - Ultrò, fons: unde à fundendo dictus est.
  - Artificio & manu factus, puteus, qui effossus est.
- Colligit, ut pluviam, cisterna.

Samia] fictili, è terra Samia. Unde Ausonius:

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea regem,
Atque abacum Samio sæpè onerasse luto.
Quærenti causam, respondit: Rex ego qui sum
Sicaniæ, figulo sum genitore satus.
Fortunam reverenter habe, quicunque repentè
Dives ab exili progrediêre domo.

Cervisiæ] Athenæus lib. 1. κρίθινον οἶνον vocat.

Buglossa] Buglossa duplex est, hortẽsis & agrestis. Hortensis vocatur etiam borrago & corrago, burretsch: lingua bovis, ochsenzung. Dicitur & Euphrosinum, quòd folia ejus, vino injecta, lætitiæ & hilaritatis causa sint: ut vult Valerius Cordus. Agreste buglossum dicitur etiam Echium, liebäuglin.

Intubo] Intybus & intybum, κιχώριον, σέρις, wegwarten / Sonnenwirbelin. Solsequium: quia flores ejus cærulei, semper solem versus inclinantur. Intybaceorum omnium flores in lanuginem, qui pappus dicitur, resolvuntur: deinde semina cum pappis leviter per auram avolant,

Sina-

Sinapis] σίνηπι dicitur, ὅτι σίνεται τοὺς ὦπας ἐν τῇ ὀδμῇ. Odor enim naribus raptus, ſternutamentum ciet, & oculos vellicans lacrymas elicit. Hinc illud poëtæ:

Seque laceſſenti fletum factura ſinapis.

Bilioſis] Qui bile flava ſeu cholera abundant.

Hoc loco] Septimò obſerva genera pultium. Pulte autem non pane vixiſſe longo tempore Romanos manifeſtum eſt, quoniam inde & pulmentaria hodieq; dicuntur: Plinius lib. 18. c. 8. Nos vocamus ein muß oder brey.

Ptiſanas] Ptiſana nonnunquam cremorem ex ordeo, aliisque frugibus expreſſum ſignificat. Imperiti pro aqua cum ordeo fervefacta intelligunt: cum ſit pultis genus ex ordeo, ut Plinius: cujus laudibus Hippocrates librum dicavit. Motta.

Leucophagum] weiß muß.

Similaginem] weiß mehl.

Amylum] amelmehl.

Aqualiculo] Aqualiculus propriè ſentinam domus ſignificat, in quam omnes ſordes confluunt. Hinc per metaphoram pro ventre heluonis & impuri hominis ponitur, in quem cibi confluunt, ut in ſentinam ſordes. Perſius ſatyr. 1.

Pinguis aqualiculus propenſo ſesquipede extat.

Vah, piſces] Octavo obſerva varia genera piſcium, ut ſunt lupus, paſſeres, ſolea, lucius, capito, thynnus, mena, mullus, murena, trutta, gobius, cammarus, cancri.

Menſa] Ellipſis eſt, ſubaudi apponis.

Mare] Metonymiæ ſunt: mare pro piſcibus, terro pro carnibus.

Lupum] Lupus ein hecht. idem & Lucius dicitur. Vide Dubravii libellum de piſcinis, & phyſicam noſtram lib. 33.

Capparibus] Kapres/ſolent cum aſſis comedi. Capparis herba ſpleneticis prodeſt, mirabilem habens ἀντιπάθειαν contra lienem, ita ut ſi ex ea alveis factis

bibant sues, sine eo viscere inveniantur. Grapald. lib.1. cap.5.

Passeres] passer piscis planus est, πλατὺς, ein plateiß. Vide Jovium in lib. de piscibus cap.25.

Lapathum] Saurampffer. Est varii generis: acutum lapathum, Græcis ὀξυλάπαθον, spitzer saurampffer. Prata amat, ut Horat. in oda, Beatus ille.

Soleas] Solea etiam planus piscis est, dictus à similitudine soleæ calcei. Varro & Plautus lingulacam vocant. Vulgò ein zungen. Vide Jovium in lib. de piscibus: cap.16.

Capitonem] Vulgò Gallis Vilain, ein Großkopff.

Thynnum] Thynnus piscis marinus est. Tanta dicitur ingenii docilitate esse, ut Græcanicũ sermonem ab Italico distinguere videatur. Vide Jovium lib. de piscibus cap. 6. Athenæ. lib. 7. Piscationis thynnariæ meminit Ulpianus in l. venditor. Commu. præd.

Mænas] Mæna piscis est marinus, qui (ut Plin. ait lib. 9. cap. 26.) colorem mutat, candidus hyeme, æstate niger. Meminit Aristot. lib. 8. Animal. & Cicero lib. 2. de finibus: Qui voluptatem contemnit, huic licet dicere, se accipenserem mænæ non anteponere. Piscis hic similis dicitur haleci.

Crustulata] Pasteten.

Mulli] Mulli pisces gemina barba in labro inferiori insigniuntur, ut ait Plinius lib.9. Cicero Paradoxo 5. Barbatulos mullulos exceptare de piscina. Idem de mullorum deliciis ad Atticum lib.1. Nostri, inquit, principes digito se cœlum attingere putant, si mulli barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant. Fenestella vult dictos esse à mulleorum calceorum similitudine. Vide Jovium cap.16. & 18. qui Triglam vocat. Sunt qui à Germanis Barben dici putent.

Murenæ] Murenæ accersebantur ad Romanas piscinas ex freto Siculo, ut ait Macrob. lib.3. cap.8. qui ex illo loco πλῶται vocãtur, Latine Flutæ, quòd in summo

mo natantes, sole torrefactæ curvare se posse & in aquam mergere desinunt, atque ita faciles captu fiunt. Martialis lib. 13.

Quæ natat in Siculo grandis muræna profundo,
Non valet exustam mergere sole cutem.

Truttæ] Trutta etiam trocta dicitur, ein Vorell. Vide Jovium cap. 35.

Gobios] Gobius & Gobio marinus piscis est, & fluviatilis: hic à quibusdam barbare fundulus dicitur, grundlen/ schmerlein. Martialis.

In Venetis sit lauta licet convivia terris,
Principium cœnæ gobius esse solet.

Vide Grapald. lib. 1. cap. 6. Jovium cap. 22. de piscibus.

Cammaros] Cammarus, qui & astacus, ein Meerkrebß.

Intritis] Intritum ab interendo, ein soß: cujus tres species subjicit.

Erucato] in quo est eruca, Græcis εὔζωμος, ein soß von senffkraut. Vide Grapald. lib. 1. cap. 5.

Philologus] id est, amator variæ eruditionis.

Pollucibilia] id est, qualia fiebant, cum in honorem cujuspiam Dei aliquid dedicabatur. Pollucere enim est sacrificale verbum & reddentiũ libamenta Diis. Plautus in Sticho: ut decimam partem Herculi polluceam. Hinc pullucibiliter cœnare, id est, saliariter, opiparè & splendidè. Vide Budæum in annotat. prioribus.

Importate] Nonò observa varia genera avium.

Pullos] Pullus generale vocabulũ est de fœtu omnium alitum, sed quadrupedum etiam quorundam fœtus pulli dicuntur.

Perdices] Feldhun/ Rebhun. Perdices jucundissimi sunt saporis, & ideò solis divitum mensis apud veteres ponebantur. Martialis:

Ponitur Ausoniis avis hæc rarissima mensis:
Hanc in lautorum mandere sæpe soles.

Turdos] Krametsvogel. Turdos inter reliquas aves, in cibis laudavit antiquitas. Martialis:

Inter aves turdus, si quis me judice certet,
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Anaticulas] dictas à natando. Cicero: Serpere angues, natare anaticulas, volare merulas, cornibus uti videmus boves. In aquis libentius quàm in terra versatur anas: itaque inter ἀμφίβια numeratur. A gulosis, pectore & cervice commendatur. Unde Martialis in xeniis:

Tota quidem ponatur anas: sed pectore tantum
Et cervice sapit: cætera redde coco.

Querquedulas] Querquedula è genere anaticularum est, ein kruckentlin: dicta à querquero, id est, gelido hybernoque tempore, quo maxime apparet.

Palumbos] Holtztauben. Dicuntur etiam torquati: ringeltauben / quia torquem collo præferunt. Martial.

Inguina torquati tradant, habeantq; palumbes:
Non edat hanc volucrem qui cupit esse salax.

Cuniculos] Cuniculus animal est fœcunditatis eximiæ: hinc oppidum in Hispania à cuniculis suffossum scribit Plin. lib. 8. cap. 29. Quin & Balearici olim auxilium militare ab Augusto petere coacti sunt, cuniculis eorum regionem populantibus. Idem lib. 2. cap. 55. & Strabo lib. 3. Proverb. Cuniculis oppugnare. Martial.

Gaudet in effossis habitare cuniculus antris:
Monstravit tacitas hostibus ille vias.

Vitulinam] Subintellige carnem, Vitulina kalbfleisch. Hœdina, kitzinfleisch.

Intinctus] ab intinguendo, sicut embamma, ἀπὸ τοῦ ἐμβάπτειν, ein brüe darein man brot duncket. Vide Grapald. lib. 2. cap. 4.

Omphacium] Omphaces sunt propriè uvæ immaturæ: hinc omphacium, intinctus ex uvis immaturis & acetosis factus, ein soß.

Oxypo-

Oxypora] Ὀξὸν Græci acetum vocant: hinc oxypora condimenta, quæ ex aceto fiunt. Grapal. lib. 1. cap. 3.
Medica] Malum medicum, Assyrium, citreum pro eodem vulgo sumunt: limonien. Alii malum aureum aut aurantium vocant, pomerantzen.
Cytronia] Malũm cydonia, kütten.
Olivas] Olivis Romani ab initio cœnæ ad finem usq; utebantur. Picenæ autem cæteris præferebantur.

Martialis:

Hæc quæ Picenis venit subducta drapetis,
Inchoat, atque eadem finit oliva dapes.

Balearicas] Ex insulis maris mediterranei juxta Hispaniam, quæ hodie Majorica & Minorica dicuntur.
Conditivas] eingemacht. Condituram olivarum docent Cato, Palladius & Columella.
Quassas] eingeschlagen.
Muria] aqua salis, saltzwasser.
Bœthicæ] Bœthis fluvius est Hispaniæ, unde nomen regioni Hispaniæ, quæ dicitur Bœthica: celebratur olivarum proventu. Unde Martialis:

Bœthis olivifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis vellera tingis aquis.

Anseri] Anseri vigil natura est, defenso Capitolio maximè celebrata, quo tempote Galli Senones urbe capta & incensa, duce Brenno Capitolium noctu ascendentes, anserum strepitu ac clangore excitato Manlio, dejecti sunt, ut scribit Livius lib. 5.
Cygno] Cygnus, Latinè olor, avis est tota candida, ein schwan. Morti proxima cantum flebilem canere dicitur, quasi divinans meliorem esse mortem quàm vitam: Cicero & Plato. Martial.

Dulcia defecta modulatur carmina lingua
Cantator cygnus funeris ipse sui.

Pavoni] Pavo laudatus, expandit colores caudæ adverso maxime Sole, sed non ante trimatum. Martialis:
Miraris quoties gemmantes explicat alas:

Et potes hanc sævo tradere dure coquo?
Item:
Laudatas ostentat avis Junonia pennas:
Si tacitus spectes, illa recondit opes.

Ejus caro non facile corruptione putrescit, ut D. Augustinus lib.21. de civitate Dei cap.4. tradit.

Hortensius] Q. Hortensius pavonem primus augurali aditiali cœna posuit. Varro lib. 3. de re rust. cap. 6. Cœna aditialis sacerdotii fuit, quam dabant capessentes sacerdotium. **Ein erste Meßmalzeit.**

Agninam] carnam **Lambfleisch.**

Offa] stein. Metaphora.

Struthionicè] avidè. Metaphora sumpta à struthionibus, qui etiam ferrum devorare & concoquere dicuntur. Vide Plin. lib. 10. cap. 1. & Physicam nostram lib. 32.

Artocreæ] **Pasteten**/ pastilli ex carne: ἄρτος panis, & κρέας caro.

Damica] è dama, **von einem damhirsch oder gemsen.**

Conditaras] **die brüe.**

Æquus] **langmütigkeit.**

Carchesium] Poculum est, circa mediam partem compressum, ansis à summo ad imum munitum, dictum à similitudine carchesii in nave, quæ est summa pars mali, **ein kopff oder kraussen.** Virgilius Georg. 4.

Cape Mæonii carchesia Bacchi.

& lib. 5. Æneid.

Hic duo ritè mero libans carchesia Baccho.

Vide Athenæum lib. 11. & Macrob.

Da secundam] Hactenus prima mensa descripta est: sequitur secunda. Primæ mensæ conveniunt carnes, pisces & alia: secundæ caseus, fructus, mellita & saccaro tecta: quæ Latinis bellaria, Græcis πέμματα & τραγήματα dicuntur. Τὰ μετὰ τὴν εὐωχίαν τῇ τραπέζῃ τιθέμενα, καλοῦσι τραγήματα: ὅθεν καὶ παροιμία, ἐκ τραγημάτων τὴν εὐωχίαν. Λέγεται δὲ ἡ παροιμία ἐπὶ τῶν ἀπὸ τῶν

ἐπιπόνων

ἀπλόνων τὸ μεῖζον θαυμαζόντων. Interpres Aristoph. in Pluto. Vide Gellium lib. 13. cap. 11. Macrob. in Saturnal. Grapald. lib. 2. cap. 3.
Apparatum] Ellipsis est verbi, apponis.
Cupedines] schleckbißlein. Cupedines ciborum deliciæ ad irritandam orexim: dictæ à Cupedinis foro. Cupedia est orexis & cupiditas deliciarum.
Pyra] Distributio est bellariorum.
Hippax] Caseus equinus, vel coagulum equinum, aut id quod in lacte equino sedit, postquam agitatum est. A Dioscoride ἱππάκη fœminino genere dicitur lib. 2. cap. 80. Vide Plin. lib. 28. cap. 9. & 14. Grapald. lib. 1. cap. 4.
Phrygium] Arist. in 3. de histor. animal. Præcipuum lac ad conficiendum reponendumque caseum ovillum caprinumq; est, mox bubulum. Equinum asininumque miscent ad Phrygium caseum faciendum.
Philuras] Philyra vel philura propriè est tilia arbor, ein lindenbaum. Sumitur & pro membrana papyri, ein blat Papir. Hîc sumitur pro lamina casei, ein schnitten käß.
Fistulosus] löcherricht.
Spongiosus] rarus, luckh. Sunt metaphoræ.
Penafellius] Ex illa urbe Hispaniæ. Parmensis è Parma urbe Italiæ: sicut & Placentinus ex Placentia urbe Italiæ.
Confriatus zerriebeu. Friare & confriare est in parvas micas comminuere. Hinc caseus, creta, castanea ex numero friabilium sunt.
Pistor] Pistor dulciarius aut crustularius est, qui crustulas mellitas, icunculasq; concinnat: & panes dulciarios cum saccaro simplici vel amygdalis contusis & in forma testuacii in clibano coctis, qui Martii panes vel Mazei panes à maza dicuntur. Martii verò à Martio inventore. Grapald. lib. 2. cap. 1.
Scriblitas] Scriblita (pro quo alii malunt streblita, ab intor-

intorsione, quasi στρεβλίτης) Martiali usitatum, küchen/gebachens/strüblin. Artolaganum, Brotküchlin. Testuacium, in der pfannen gebachen. Sartagineum, in sartagine coctum.

Cacabum] Cacabus vas, quo tuceta, carnes & pulmentaria coquuntur. Varro.

Caryotas] caryotæ sive caryotides, quas Apicius dactylos appellat: è palmis nascuntur, dattelkern. Avulsus è palma cum fructu termes Spadix dicitur: quem Martialis spatalion vocat. Grapald. lib. 2. cap. 3.

Malogranatis] Malum granatum, quod est malum Punicum, granatapffel.

Spolia] Stringe, aufer caryotas.

Aristotelis] In problematis. Locus à causa finali bellariorum.

Buccellatum] panis bis coctus, bißcotten.

Cydoniatum] küttenlatwergen.

Coriandrum] Prohibet vapores à capite, ut scribit Avicennas. In aceto autem albo per diem maceratum, reddit illud aptissimum ad pulices necandos, si per ædes spargatur. Grapald. lib. 1. cap. 5.

Canistris] Canistra è viminibus salicis cistulæ seu panariola, in quibus reponuntur per ministros quæ cœnæ superfuerunt. Iisdem etiam panis in mensam portatur, Brotkorb. Virgilius:

Cereremque canistris Expediunt.

Græci κανᾶ vocant. Hinc canephoræ κανηφόροι mulieres apud Ciceronem in Verrinis: quæ canistra capite gestant.

Moschatam] Moschus genus est odoramenti, quam Ætius putat esse saniem è vomica capreæ collectam, Bisem.

Agamus] Tertia pars dialogi est finis cõvivii, qui constat duplici gratiarum actione: una fit DEO, altera convivatori. Illa religiosa, hæc politica est.

Non possum] Gratiarum actio domino facta duas partes

tes habet, Exordium & Narrationem.
Baccho]Metonymia, id eſt, vino.
Diogenes]Nobilis ille philoſophus cynicus, qui in dolio de palo ſuſpenſo vitam egit, unico contentus pallio, baculo, quo canes abigeret, crudis herbis & aqua ſimplici victitans, pane excavato pro catino, manu cava poculi vice ſolitus uti. Vide proverb. Vita doliaris: & Laërtium in vitis. Dionyſii tyranni Siciliæ duo fuerunt, major & junior: de quibus Juſtinus lib. 20. & 21. Vide pro: Dionyſius Corinthi.
Scribetur] Proverb. Vino inſcribere.
Defatigaſti] Narratio cum diſtributione.
Tu nos] Diſſimilitudo & ejus protaſis.
Nos te] Antapodoſis.

Sententiæ.

Etiam res amaras condimentum reddit ſuaviſſimas.
Vitæ condimentum eſt æquus animus & pietas.
Naturæ placent modica.
Varietas ciborum homini peſtilens: peſtilentior condimentorum.
Secundum naturæ deſideria vivendum eſt, non juxta corruptas à ſtultitia opiniones.

EBRIETAS.

Aſotus, Tricongius, Abſtemius, Glaucia.

In hoc dialogo Ebrietatis cauſas effectaq; deſcribit. Occaſio dialogi ſumta eſt ex Horatio lib. 1. epiſt. 5. ubi primò cauſas ebrietatis deſcribit, ut ſunt, curas abjicere, ſplendido convivio intereſſe, optima vina effuſe & large potare: cum ait:

Potare & ſpargere flores
Incipiam, patiarque vel inconſultus haberi.

Deinde effecta ebrietatis ſeptem ſubjicit: nam arcana detegit.

Rmo e Dob
Dni Nale



detegit, confidentes reddit, audaces facit, solicitudinem eximit, sapientiæ fatuam opinionem affert, garrulos & loquaces efficit, in summa paupertate dissolutos & prodigos reddit.

Quid non ebrietas designat? operta recludit:
Spes jubet esse ratas, in prælia trudit inermem.
Sollicitis animis onus eximit, addocet artes.
Fœcundi calices quem non fecere disertum?
Contracta quem non in paupertate solutum?

Nomina etiam aptè adhibita sunt. Asotus, media longa, homo est gulæ luxuique deditus: Latinis heluo, nepos & decoctor: ab α privativa particula & σώζω servo. Cicero lib. 2. de Finibus, Nolim asotos, qui in mensam vomant, & qui de conviviis auferantur, crudique postridie se rursus ingurgitent; qui Solem (ut ajunt) nec occidentem unquam viderint, nec orientem; qui consumtis patrimoniis egeant. Nemo istius generis asotos jucundè putat vivere. De Tricongio superius dictum est in dialogo Garrientium. Abstemius est, qui vinum non bibit, quasi abs temeto, id est, vino. Dialogi autem partes duæ sunt: Exordium, quod continet dialogi occasionem, & Narratio.

1. Exordiū.

ASOTVS. *Quid tu dicis, Tricongi? quàm lautè nos heri accepit Brabantus ille.* TRICONG. *Malè sit illi, non potui tota nocte quiescere. Vomui (sit habitus honos vestris auribus) convolvi me subinde toto lecto, modo ad spondam interiorem, modò ad exteriorem: fauces & stomachum videbar mihi rejecturus: nunc præ dolore capitis nec oculorum officio possum fungi, nec aurium: lamina ponderosa plumbi videtur mihi in frontem & oculos incumbere.* ASOT. *Frontem & tempora fortiter adstringe fascia.*

fascia, & rex videberis. TRIC. Seu ipse potius Bacchus, à quo institutum manavit diadematum in reges. ASOT. Recipe te domum, & edormi crapulam. TRICON. Domum verò? nihil æquè fugio & aversor ut domum, & uxorem clamosissimam: ea si me nunc aspiceret, longiores haberet homilias, quàm Chrysostomus. ABST. Hoccine appellas tu lautè tractari. GLAVC. Planè ita est: nam laverunt probe guttur & fauces. ABSTE. Manus verò? GLAV. Ne semel quidem. ASO. Imò sæpè vino & lacte, dum alii in aliorum pateras immittebamus manus. GLA. Quid potest dici lautius? & quidem digitos pingui carnium & embammatis inviscatos. ABS. Tace per divos, quis posset absque nausea rem adeò audire obscœnam? quāto minus videre, aut de ejusmodi vino aut lacte gustare? ASO. Divi vestram fidem, adeon' es Abstemi delicatus, ut hæc ne auribus quidem possis devorare, quid faceres palato, ut nos? Sed heus tu Tricongi, compotator suavissime, mittamus puerum aliquem, qui nobis illa phiala fictili adferat ex eodem vino, nulla est certior huic veneno theriaca. TRICONG. Estne hoc exploratum? ASOT. Quid ni esset? memineris versus, quos cantat Colax: Ad sanandum morsum canis nocturni sumo ex pilis ejusdem canis. GLAVC Narra quæso de convivio. ABSTEMI. Ne narres, nisi velis me removere quidquid habeo in ventriculo,

cum ipsis vitalibus. GLAV. *Facesse igitur paulisper.* ASO. *Ego narrabo quàm commodißime, ut nusquam sit honos præfandus.* GLAV. *Incipe obsecro, adverte animum, Abstemi.* ASOT. *O Glaucia mi, ante omnia istud ex me habe, nullum esse hominum genus, quod comparari possit cum festivo & largo conviviatore. Quidam ostentant eruditionem rerum variarum, id est, mera nugamenta: alii jactant experientiam & usu collectam prudentiam: quorsum id? Sunt qui habent quidem opes, sed non audent expendere: miseri, quid eos juvat adservare? Benignus conviviator ubique prodest, ubique est gratus: vel solus illius aspectus exhilarat tristitiam animi, & discutit, si qua est in eo miseria, sive recordatione convivii, sive spe atque expectatione. Alia omnia quæ dicuntur bona animi nec ego video, & sunt jejunia atque infrugifera.* ABST. *Rogo te Asote, quis est autor tam bonæ sententiæ?* ASO. *Ego & omnes mei similes, id est, plerique ex Gallia Belgica, à Sequana ad Rhenum flumen: tantum dissentiunt inter nos homuli quidam, vel miseri & præparci, qui Abstemio suum invident cognomen, frugi volunt appellari: vel quidam magni sapientiæ opinione suffarcinati, id est, inani nomine, quos etiam nos (id est, maxima pars hominum & præcipuè) ridemus.*

Digressio.

ABSTE. *Quid audio?* GLAV. *In hoc iste non falletur, etsi ebriosus, nam nusquam eruditio mi-*

nus

nus habet precii, quàm in Belgica: non aliud esse rentur virum eruditione præstantem, quàm sutura vel textura. ABSTEM. *Atqui student hic multi, non infelici profectu.* GLAUC. *Deducuntur à parentibus parvi filii ad scholas, tanquam ad opificium, quò parent sibi deinceps victum. Ipsi etiam scholastici, dictu incredibile, quàm parvi institutores suos faciant, quàm prosequantur honore exiguo, & præmiis adeò tenuibus, ut doctores insignes ac primi nominis tolerare sese vix poßint.* ASOTUS. *Ista sunt ab instituto sermone aliena: revertamur ad convivium.* TRIC. *Hoc malim audire, & missos faciamus jam tandem sermones istos studiosos, qui sunt profectò infrugiferi. Nescio quemadmodum vos Itali de eruditione statuatis: mihi certè res videtur non solum inutilißima, sed etiam damnosa.* ABST. *Idem videtur bovi & sui, quod tibi & nobis quoque videretur, si non plus haberemus mentis quàm tu.* ASOT. *Non esset finis. Itaque audi jam. Primum omnium accubuimus severi & tristes: sacrata est mensa, silentium ubique & quies: cœpimus expedire cultellum quisque suum, speciem præbebamus non invitatorum, sed invitorum: adeò id diceres facere nos coactos, & faciebamus revera admodum segniter: nondum enim incaluerat animus ardore illo libero: aptat quisque mantile suum humeris, nonnulli etiam pectori, alii de mappa extendunt su-*

II. Narratio.

O per

per gremium: ſumit panem, aſpicit, volvit, purgat: ſi quid eſſet carbonis aut cinerum decorticat: & hæc omnia lentè & cunctabundè. Quidam auſpicati ſunt cœnam à potione: alii priuſquam biberent, paululùm ſumpſerunt acetarii, & bubulæ ſalitæ, ad excitandum dormiens palatum, & ſtimulandum languidulum: primus ſcyphus fuit cervisiæ, ut frigidum cæmentum ſubſterneretur ardori vini. Allatus eſt ſacer ille liquor, primùm poculis anguſtis & exiguis, quæ magis ſitim irritarent, quàm reſtinguerent: dominus homo feſtiviſſimus, qui potiorem in hac tota regione nullum habet, ac ne parem quidem, mea utique ſententia (quod ſit dictum ſine cujuſquam injuria) jubet adferri pocula capaciſſima, & cœptum eſt largiter potare more Græco, ut dicebat illic philogræcus quidam, qui Lovanii olim ſtuduerat. Ibi cœpimus loqui, tum incaleſcere, hilaritas ubiq; & riſus diſſuſiſſimus. ô cœnæ noctesq; deorum: alii aliis præbibimus, & magna æquitate faciebamus paria: nefas erat ſodalem fraudare, tali præſertim tempore. ABSTE. Meritò, cùm agitur non de calice vini, ſed de ſenſu & mente, rebus in homine præcipuis. Sed ut hac de re tam læta, tam feſtiva, tu & ego colloquamur, primùm rogandus es, an ſis ebrius. ASOT. Non revera, & facile eſt cognoſcere ex ordine orationis meæ: nam ſi eſſem, putes me hæc referre potuiſſe adeò compoſitè. ABST. Rectè eſt:

Cauſæ.

est: alioqui, juxta Mimi versiculum, cum absente litigarem. Principio, cur non extruitis templum aliquod in hac regione Baccho, cœlestis hujus liquoris repertori? ASOT. Hoc vestrum est, qui ædem habetis Romæ Sergii & Bacchi: nobis satis est quotidie illi passim sacra facere. Et fortasse erigeremus templum, si constaret illum fuisse inventorem: nam de ea re audivi disceptari inter studiosos quosdam. Sunt qui putent primum fuisse Noam, qui vinum biberit, quiq; sit inebriatus. ABSTE. Dimittamus ista. Cedo, quod vinum bibebatis? ASOT. Quid nostra refert, quod sit vinum, aut cujas: habeat modò nomen & colorem vini? id satis est nobis: delicias illas quærat Gallus, aut Italus. ABS. Quæ ergo potest esse delectatio, cum id non gustas, quod in corpus ingeris. TRICON. Fortasse nonnulli initiò aliquid gustant, integro palato: mox verò depravato ex tanta humoris redundantia, gustum omnem amittunt. ABSTEM. Siti jam extincta, nulla superest voluptas, quæ tota sita est in satisfaciendo desideriis naturalibus, ita ut tormenti sit genus sine siti bibere, aut sine fame edere. TRICONG. Putas nos Abstemi ad voluptatem potare, aut quòd sit jucundum? ABSTEM. Tanto ergò estis pejores bestiis, quæ aviditatibus naturalibus aguntur: vos neque illuc ducit ratio, & retrahit natura. TRICON. Ducit nos eo sodalitas, & paulatim inebriamur

 impru-

imprudentes. ABSTE. *Quoties estis inebriati, quoties alios ebrios vidistis?* TRICO. *Quotidie plurimos.* ABSTEM. *Non sufficiunt ergo tam multa experimenta, ad devitandum rem tam fœdam? Atqui bellua vel uno experimento fieret cautior.* GLAV. *At sodales istos, in quorum gratiam transeunt ex hominibus in bestias, scis quàm habent charos? dum potant, darent illis præcordia? digressi illinc, vix agnoscunt: vitam & animam cujusvis illorum nollent redemtam sibi nummo sestertio.* ABSTE. *Quibus ex poculis hauriebatis vinum, & quomodo?* ASOT. *Primùm allata sunt vitrea, paulò pòst, ob periculum sublatis illis, exhibita argentea. In vinum injiciebamus à primo herbulas, quod id suaderet anni tempus: paulò pòst jus carnium, lac, butyrum, cremorem.* ABSTE. *O spurcitiem ne beluis quidem tolerabilem.* TRIC. *Quantò tu* τραγικώτερον *exclames, si scias alios in aliorum pocula manus sordentes immittere, conjicere ovorum, & pomorum, & nucum putamina, & olivarum ac prunorum ossa.* ABSTE. *Abstine ab hisce narrandis, si vis ne me hinc in sylvas aliquas fuga abripiam.* TRIC. *Audi tu in aurem Glaucia. Quidam horum gestant in faciendo itinere cornu venatorium, plenum, ut necesse est, pulvere & stipulis, & floccis, & sordibus aliis: ex hoc bibimus.* GLAVC. *Quid?* TRICON. *Quid verò? vinum.* GLAVC. *Imò verò*

verò mentem. TRICON. Planè ita est, & post epotam mentem, matulis non admodum mundis, sumtis de scamno lecticali, usi sumus pro calicibus. DE. Quis fuit convivii exitus, tanquàm fabulæ? ASO. Natant vino pavimenta. Inebriati sumus omnes, hospes in primis homo strenuus, dejectis sub mensam magna victoria duobus vel tribus. ABSTE. O præclaram victoriam, & de re pulcherrima ac prædicanda. Sed omnes tamen vinum vicit? ASOT. Etiam. ABSTE. Miserum te, quid putas esse ebrium? A O. Probè & ex animi sententia indulsisse genio. ABS. Cui genio? bono, an malo? GLAV. Si rectè omnia scruteris, nusquam invenies cui indulgeant: neque enim animo, nec voluptati, nec ulli rei alteri, cui alii indulgent, qui vitiis obtemperant, & pravis animi cupiditatibus. Sed inebriari, est sensuum facultates amittere, exire de potestate rationis, judicii, mentis: planè ex homine fieri vel pecus, vel saxum. Quæ deinceps sequantur, etsi nunquam ebrios vidi, tamen facilimum est conjectare: loqui, & nescire quid loquaris: si quid commissum est tibi arcanum, maximè celandum, effutire: atque ea dicere, propter quæ te, & tuos, & sæpe patriam, ac provinciam universam in grave discrimen adducas: nulla distinctio amici & inimici, uxoris & matris: rixæ, jurgia, inimicitiæ, plagæ, vulnera, mutilatio, occisio. TRIC. Etiam sine ferro &

Effecta.

 san-

sanguine: nam non pauci commutant ebrietatem cum morte. GLAUC. *Quis non malit domi se cum cane aliquo aut fele includere, quàm cum ebrio? plus enim mentis est in illis animantibus.* ABSTE. *Post ebrietatem verò cruditas, debilitatio nervorum, paralyses, arthretici cruciatus, gravedo capitis & corporis totius, hebetatio sensuum omnium: memoria extinguitur, ingenii acies retunditur. unde stupor in tota mente, & ad intelligendum sapiendumque, & ad eloquendum.* ASOT. *Iam incipio intelligere, magnum esse malum ebrietatem: posthac dabo sedulam operam, ut bibam ad hilaritatem, non ad ebrietatem.* GLAUC. *Hilaritas est janua ebrietatis. Nemo venit ad bibendum eo animo, ut inebrietur, sed bibendo exhilaretur, continuò pòst sequitur ebrietas: difficile est enim signare hilaritatis metam, atque in ea sistere. Lubricus est gradus ab hilaritate ad ebrietatem.* ABSTE. *Dum vinum habes in scypho, illud est in tua potestate, dum in corpore, tu es in illius: haberis jam, non habes: quum bibis, tu tractas vinum pro tuo libito: postquam biberis, illud te tractabit pro suo.* ASO. *Quid ergò? nunquámne est bibendum?* ABSTEM. *Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt: bibendum quidem, non potandum. Natura sola in hoc docet bruta, hominem non docebit eadem natura ratione adjuta? Edes cum esuries, bibes cum sities: fames*

mes & sitis admonebunt, quantum, quando, quatenus edendum & bibendum. ASOTUS. *Quid si semper sitiam, nec sitim possim mitigare, quin fiam ebrius?* ABSTEM. *Bibe, quod inebriare non possit.* ASO. *Non fert constitutio mei corporis.* ABSTEM. *Quid si tantum esurires, ut exatiari nullo cibo posses nisi disrumpereris?* ASO. *Ea verò non esset fames, sed morbus.* ABSTEM. *Nimirum opus esset medicina ad eam famem tollendam, non dapibus: nónne?* ASOTUS. *Quid ni?* ABSTEMI. *Eodem prorsus modo medico tibi esset opus ad eam sitim, non caupone: & potione de pharmacopolio petita, non de œnopolio: non est ea sitis, sed morbus, & quidem perniciosus.*

Convolvi] Effecta hîc quædam ebrietatis præmittuntur, quæ ex Horatio etiam imitatione quadam traducta sunt.

> Ebrius & petulans, qui nullum forte cecidit
> Insomnis patitur noctem lugentis Atridam
> Pelidæ: cubat in faciem, mox deinde supinus.

Diadematum] Diadema fascia fuit, qua reges caput circumligabant: Ornamentũ igitur capitis, regum insigne fuit. Vide Baysium de re vestiar. Bacchus id invenit, ut scribit Plinius lib. 7. c. 56. Vide Alexand. lib. 1. cap. 28. & Polydorum de inventor. rer.

Homilias] id est, conciones, längere Predig. Joannes Chrysostomus episcopus Constantinopolitanus tẽpore Arcadii & Honorii Impp. vixit. Ob eloquentiam Chrysostomus Güldenmund dictus est. Vide historiam Tripart. lib. 10. cap. 3. 10. 15. Ejus vox est, χιλιάκις [illegible].

Laute] Locus ex ambiguo. Laute n. tractari eſt ſplendido convivio excipi : metaphora ſumta à lavando.

Embammatis] Embammata Latinè intinctûs, ab ἐμβάπτω intingo, ein ſoß darein man brot dunckt.

Theriaca] Vulgò triacks. Theriaca remedium eſt præſentaneũ contra venena ferè omnia : ſic dicta quod venenis beſtiarũ adverſetur : vel quòd eviperarum carnibus conſtet, quæ naturalem quendam & mutuum affectum habent (quem ἀντιπάθειαν vocant) adverſus quodvis animal venenoſum. Admiſcetur præterea Dictamus herba, cui proprietas cum corde : Eupatorium, cum jecore : Scolopendrium,cum liene: Petroſelinum,cum ventris orificio: Hyſopus, cum ſepto & pulmone : Seſeli, cum veſica urinæ : Helenium, cum renibus : Ruta,cum colo : & Gentiana, cum cerebro. Grapald.lib.1.cap.5.

Colax]Colax Græcis eſt adulator.

Pilis] Alluſio eſt ad jocum Plautinum.

Vitalibus] Vitalia ſunt membra interiora,vitæ inſtrumenta, ut cur,pulmo, cerebrum, jecur.

Nullum eſſe] Locus ex comparatis minoribus.

Quidam]Diſſimilitudinis protaſis,quæ conſtat distributione.

Benignus] Antapodoſis.

Sequana] Fluvio, qui Pariſiorum Lutetiam influit.

Nam nusquam] Digreſſio eſt in querelam de contemtu eruditionis.

Primùm omnium] Secunda pars Dialogi, continens Narrationem de cauſis & effectis ebrietatis.

Invitorum] Paronomaſia.

Allatus] Cauſæ ebrietatis ſunt, vini potus largior ex poculis capacibus, more Græco.

Græco] Græcorũ gens male audivit paſſim apud Latinos,quaſi voluptatibus addicta & deliciis effœminata. Cicero Verrina 3. Fit ſermo inter eos & invitatio,ut Græco more biberetur : hoſpes hortatur :

poſcunt

poſcunt majoribus poculis: celebratur omnium ſermone lætitiaq; conviviũ. Vide prover. Pergræcari.
Philogræcus] Varronis vocabulum, pro quo Cicero uſurpat φιλέλλην.
O cœnæ] Hemiſtichium ex Horatio. Vide Proverb. Cœnæ Deorum.
Paria] Beſcheid thun/nunc gleich thun.
Fraudare] Hinc vulgatum potorum axioma: Qui fallit vino, fallit & ipſe fide.
Merito] Eſt ironia.
Bacchi] Concordiæ templum apud Romanos fuit infra Capitolium, quà forum reſpicit. Hodie vocatur templum SS. Sergii & Bacchi, quod miratur hîc Vives. Vide Georgii Fabricii Romam cap. 9.
Noam] Vide 9. cap. Geneſeos, & Polydorum Virgilium de inventoribus rerum.
Seſtertio] Seſtertius nummus Rom. argenteus fuit, denarii ſeu drachmæ quadrans: continens duos aſſes cum dimidio. unde ſic ſcribitur H-S. vel LL-S. Dicitur & numus & numus ſeſtertius, ein Baßler plappert. Eſtque quadrageſima pars Coronati. Vide Budæum & Glareanum de Aſſe.
Quibus] Duo quærit, ex quibus poculis & quomodo.
Primùm] Reſponſio prima de poculis.
In vinum] Altera reſponſio, quomodo.
O ſpurcitiem] Exclamatio.
Τραγικώτερον] Magis Tragicè, magis graviter. Vide proverb. Tragicè loqui: & Quæſtiones noſtras in artem poëticam Horatii.
Quis fuit] Hactenus de cauſis ebrietatis: nunc ſequuntur ejus Effecta, partim in ipſa ebrietate accidentia, partim poſt ebrietatem.
Fabulæ] Intelligit Cataſtrophen. Nam partes fabulæ ſeu dramatis (ut Tragœdiæ aut Comediæ) tres ſunt: Protaſis, quæ argumentum & initiũ dramatis proponit: Epitaſis, quæ incrementa turbarum habet: &

Catastrophe, in qua exitus fabulæ continetur.

Natant] Verba sunt Ciceronis in 2. Philippica, ubi describit luxuriosum Antonii convivium. Hîc autem ponit effecta ebrietatis, quæ in ipsa ebrietate contingunt: quorum tres gradus sunt. 1. amissio sensuum. 2. futilitas. 3. rixæ.

O præclarum] Exclamatio ironica.

Miserum] Definitio ebrietatis per diversa seu dissimilia.

Probe] Protasis dissimilitudinis.

Genio] D. Augustinus lib. 7. Genium ex Varronis sententia sic definit: Genius est Deus vim habens rerum omnium gignendarum. Plutarchus genium esse scribit, qui unicuiq; mortalium insit. Censorius genium Deum ait, in cujus tutela, ut quisque natus est, vivit. Die natali munus annale genio solvebant. Vide Horat. lib. 2. epist. 2. Girald. syntagmate 15. Proverb. Genio indulgere: & Genius malus. Duo enim vulgo genii hominibus attribuuntur: unus bonus, qui commoda nostra procuret: alter malus, qui modis omnibus exitio nostro immineat.

Sed inebriari] Antapodosis: in qua veram ebrietatis definitionem opponit, ex effectis sumptam. Estque primus gradus, amissio sensuum.

Exire] Verba sunt Ciceronis, in quarta Tuscul. de ira differentis: Iratos propriè dicimus exisse de potestate, id est, de consilio, de ratione, de mente: horum enim potestas in totum animum esse debet. Exire de potestate mentis, unsinnig sein / von sinnen kommen.

Loqui] Secundus gradus, futilitas, loquacitas, garrulitas, arcani significatio. Hinc proverb. Quod in corde sobrii, id in lingua ebrii: τὸ ἐν τῇ καρδίᾳ τοῦ νήφοντος, ἐπὶ τῆς γλώττης τοῦ μεθύοντος: & in vino veritas, ἐν οἴνῳ ἀλήθεια. Theognis.

Ἐν πυρὶ μὲν χρυσόν τε καὶ ἄργυρον ἴδριες ἄνδρες
Γινώσκουσ᾽. οἶνος δ᾽ ἀνδρὸς ἔδειξε νόον.

Hero-

Herodotus: οἴνου κατιόντος, ἐπιπλέουσιν ἔπεα: subsidente vino, supernatant verba. Pindarus in Nemeis; θρασυλέα παρὰ κρητῆρα φωνὰ γίνεται: audax juxta craterem vox fit.

Rixæ] Tertius gradus, rixæ &c. ubi observa incrementum in nominibus.

Post ebrietatem] Effecta ebrietatis, quæ post ebrietatem sequuntur. Vide Plinium lib. 14. cap. ult. gravissime de vitanda ebrietate disserentem.

Hilaritas] Redit ad causas ebrietatis.

Quid ergo] Ostendit mediocritatem in bibendo esse servandam.

Dum vitant] Carmen est Horatii. Idem in arte poëtica ait:

In vitium ducit culpæ fuga, si caret arte.

Quid fit tantum] Similitudo est, cujus hîc est protasis.

Eodem] Apodosis similitudinis.

Sententiæ.

Ebrium qui objurgat, cum absente litigat.

Tormenti genus est, sine siti bibere, aut sine fame edere.

Per ebrietatem homo exit de potestate mentis.

Hilaritas est janua ebrietatis.

R E G I A.

Agrius, Sophronius, Holocolax.

In hoc dialogo Regia seu aula & ejus partes, personæ, muneraque describuntur: de quibus vide Vincentium Lupanum in libello de magistratib. Francorum. Vives enim noster hinc præcipuè Regiam regis Gallorum describit. Personæ verò dialogi è Græco aptè fictæ sunt. Agrius enim illis est agrestis, rusticus, vitæ aulicæ imperitus, Sophronius prudens est, modestus & cautus.

cautus. Holocolax, totus adulator, & qui (ut ait Terentius) imperavit sibi omnia assentari, quorum hominum magnus in aulis proventus est. Duæ sunt partes Dialogi, exordium & Narratio.

1. Exordiũ.

AGRIVS. *Quid est, quòd tam multi regem comitantur, tam vario cultu?* SOPHRON. *Quin tu potius vultus contemplaris quàm cultus? magis sunt enim vultus varii ac diversi, quàm cultus & vestitus.* AGRI. *Istud quoque de vultibus quámnam habet causam?*

Cultus.

SOPHRON. *Vestiuntur quidem aliàs pro facultatibus, aliàs pro ratione dignitatis aut generis, sæpe etiam ut cujusq; est vel ambitio, vel vanitas: multi quoq; vestimentorum elegantia utuntur pro hamo & reti ad favorem captandum vel regis, vel procerum, animos puellarum non raro.*

Vultus.

Vultus autem adfectus animi sequitur: talis est fere, qualis interior animi habitus. AGRIVS. *Sed cur tam multi huc conveniunt?* HOLO. *An non decet, ut plurimi sint, ubi est caput & regimen provinciæ totius?* SOPHRO. *Optimè: sed plerique non adeo rempub. spectant, ut privatam: & sequuntur eum, in cujus manu est regimen non tam patriæ, quàm fortunarum.* HOLO. *Quid ni? quandoquidem omnia sunt pecuniæ venalia.* SOPHRON. *Sic judicant illi, quibus animus & mens nihil omninò est: valetudo autem, & dotes corporis, viles.* AGRIVS. *Quid opus est in hoc tumultu aulico tanta philoso-*

losophiæ speculatione? ego verò malim de vobis intelligere, quinam isti tanto numero, tam variæ specie ac forma? HOLO. Ego tibi omnes percensebo ordine. nam Sophronius hic, quantum intelligo, non est admodum in regiis versatus: ego verò comitatus omnes regios adii, penetravi, & perscrutatus sum, perspexi, gratus semper omnibus & jucundus. SOPHRON. Inde credo parasti tibi cognomen illud Holocolacis. HOLO. Rem tenes: sed tu Agri ausculta. Ille, in quem aures, oculi, mens omnium intenta est ac defixa, rex est, caput Reipub. SOPH. Verè caput, & ideo salus, cùm est sapiens, ac probus: pernicies autem cùm malus. HOLO. Ille, qui ponè sequitur, puellus, est filius ejus hæres, quem in aula Græca vocabant δεσπότην, hoc est, dominum: in Hispania vocant principem, in Gallia Delphinum. Torquati illi in vestibus holosericis, & holobryzis, proceres sunt regni, insignes dignitatum militarium nominibus, principes, duces, præsides limitanei, quos marchiones nominant, comites viri, qui Barones voce barbara nominantur: equites. Ille est magister equitum, quem vulgò comitem stabilem appellant, nomine ex aula Græca sumto, ubi magnus Comestabulus cognominabatur, sicut præfectus maris admiralus. Est & prætorio præfectus, qui non solum palatio præerat, sed etiam satellitio, quem Romuli tempore præfectum Celerum nominabant, & satellites ipsos

II. Narratio.

Rex.

Delphinus.

Proceres.

Magister equitum.

Præfecti.

ipsos Celeres. AGRI. Quinam sunt illi in vestibus talaribus, magna severitate vultus? HOLO. Sunt regii consultores. SOPHRON. Istos, quos in consilium adhibet princeps, prudentißimos esse oportet, magni rerum usus, & in decernendo gravitatis ac moderationis summæ. AGRIUS. Qui isthuc? SOPHRO. Quia sunt oculi & aures principis atque adeò regni universi, & eo magis, si cæcus & surdus sit rex, captus suis sensibus vel ab arrogantia vel à delitiis. AGRIUS. Etiámne luscus ille, & ille alter surdaster, oculi atque aures sunt regis? SOPHRON. Pejor est cordis cæcitas & surditas. HOLO. Eos, qui sunt à consiliis, sequuntur Scribæ, nec ii pauci vel unius ordinis: tum qui pecuniam principalem tractant, vel procurant, coactores, tribuni ærarii, præfectus fisci, procurator fisci & fisci advocatus. AGRIUS. Qui sunt juvenes illi comptuli & festivi? qui semper regem sectantur, & adstant illi, alii arridentes, alii ore aperto velut admirabundi? HOLO. Hæc est cohors intimorum amicorum, deliciæ atque oblectamenta regis. AGRIUS. Duos illos ingredientes cur adsectantur tam multi vultuosi? HOLO. Quia iis est apud regem fides præcipua: alter est præfectus sacris scriniis, sive princeps Scribarum: alter à secretis arcanis, apud quem est regni breviarium. Idem est princip à memoria: eáq; de causa offerunt se illi quotidie tam multi, ut meminerint

Consiliarii.

Scribæ.

Cohors amicorum.

Cancellarius.

Secretarius.

meriano

moriam illius de se refricent ac renovent, quandoquidem is est principis memoria. Illi autem, qui ducunt vultus, sunt litigatores, quique res suas persequuntur: nec eorum unquam negocia finem inveniunt, longa contexta serie procrastinationum. Duo illi, qui deambulant in porticu, præfecti sunt, alter cubiculo, alter regio equili: habent hi sub se alios permultos, cubicularios & equisones. Sed ingrediamur regiam cœnationem. AGRIVS. *Ah, quanta turba, qui apparatus tam anxius & morosus?* SOPHRON. *Id vero majore cum admiratione fueris intuitus, si scias quàm levem ad rem pertinent, nempe, ut sorbeat ovum unum, & pusillum vini bibat nauseabundus.* HOLO. *Ille est hebdomadæ hujus architriclinus, cum scirpo Indico: pocillator est adolescens ille: structor nondum est ingressus.* AGRI. *Qui sunt cum rege pransuri?* HOLO. *Quisnam esset tam beatus, qui posset epulis accumbere divûm?* SOPHRON. *Atqui olim regiæ mensæ adhibebantur convivæ, modò duces exercitati, modò viri claro genere: aliàs insignes vel usu rerum, vel eruditione, quorum sermone rex fieret melior ac sapientior. Sed Gothica & aliorum barbarorum superbia, morem hunc nostrum invexit.* HOLOC. *Habent proceres asseclas suos armigeros, & exoletos, pueros pedissequos, pueros à pedibus, sive à calcari. Sunt inter eos divites magnificentissimi, qui pleros-*

Litigatores.

Cubicularius.

Architriclinus.

plerosque excipiunt cœna recta: alii, quibus hoc molestum videtur, mittunt amicis sportulas: idque est amicis tenuioribus utilius: sed recta convivari plus habet splendoris. AGRI *Aliud hominum genus videre mihi videor in illo cœnaculo.* HOLO. *Illud est gynæcium, ibi regina habitat cum matronis suis & puellis: aspice ut ingrediuntur & egrediuntur ex parthenone, tanquam apes ex alveario, juvenes amatores, mancipia Cupidinis.* SOPHR. *Sæpe & senes bis pueri.* HOLO. *Nihil est majoris voluptatis, quàm audire illorum acutè excogitata dicta vel poëmata, cantiunculas, melodias antelucanas, confabulationes cum puellis: videre saltationes, obambulationes, varietates colorum in cultu, habitus & formas vestimentorum: habent pueros amanuenses, per quos mittuntur & remittuntur mandata: hi verò nunciant & renunciant ultrò & citrò mandata, qua solerta, diligentia, educatione? divi vestram fidem, nudis capitibus, flexo poplite, atque etiam positis genibus. Audire est quotidie & videre aliquid novi, inopinati, acutè & subtiliter excogitati, vel dicti animose, aut dextrè, aut solutè facti.* SOPHR. *Imò dissolutè.* HOLO. *Quæ felicitas major? quis possit ab hujusmodi suavitate divelli?* SOPH. *Colax, Colax, & tu sine amore insanis, & sine vino ebrius es: quæ ineptia potest esse major, quàm ista abs te descripta?* HOLO. *Nescio qui fiat, ut ex*

Gynæceum.

ut ex scholis videas plerosque discedere: ingressi semel aulam, in ea consenescant. SOPHRON. Tanquam qui de Circes poculo biberant amissa mente, & in beluarum ingenium degenerantes. nolebant inde egredi, & ad hominum naturam ac conditionem redire. AGRIVS. At hi omnes, cùm se ad suam quisq; domum receperunt, quid agunt? quibus se actionibus occupant, ut saltem fallant tempus? SOPHR. Plerique omnes nihil magis addunt serium, quàm quod cernis: atque adeò ocium illis multorum vitiorum parens est ac nutricula. Ludunt quidam taxillis, chartis, alveolo, aciebus: alii per occultam detractionem, & artificiosam maledicentiam horas pomeridianas transmittunt: hoc est, quibus domi desident: aliqui mirificè capiuntur scurris & planis, in quos sunt profusissimi, cætera perparci & sordidi. Sed præcipua aulæ corruptela est assentatio uniuscuiusq; erga alios omnes, quódque pejus est, erga semetipsum: ea efficit, ut nullus unquam nec à se, nec à socio veritatem conducibilem audiat, nisi fortè in jurgio: quam is tum parum pro veritate accipit, sed pro contumelia. HOLO. Hic quæstus est nunc multò uberrimus. tu cum tua veriloquentia esuries strenuè: ego arridendo, adblandiendo, omnia approbando, & laudando, evasi locuples. AGRIVS. Non possent hæc incommoda reges corrigere? SOPHRON. Perfacile, vellent modò. Sed aliis hi mores placent,

Ocium.

Assentatio.

cent, quia suorum similes: alii ipsi sibi eas occupationes accersunt, per quas nunquam vacet recti aliquid, aut sani cogitare: non desunt, qui remissis animis, & dissolutis, non arbitrantur illius domus ac familiæ mores ad curam suam pertinere: quæ non pertinent profecto minus, quàm ad unumquenque nostrum sua domus privata.

Quid est] Exordium duarum partium est, de cultu & vultibus.

Vestiuntur] Prior pars de cultu.

Vultus autem] Altera pars de vultu.

Ego tibi] Attentio & Docilitas.

Inde credo] Locus à notatione.

Ille in quem] Narratio est, secunda pars dialogi.

Delphinum] Vide Lupanum lib. 1. de magistratibus Francorum, qui sic scribit: Delphinus apud Gallos regis proximus hæres est: cujus origo talis habetur. Cùm Vinbertus Delphinatium princeps (sic enim eum appellat Paulus Æmilius) ex filii morte, quem unicum habebat, dolorem tantum concepisset, ut sæpius cogitaret monasticam vitam profiteri: omni dominatu Philippo Valesio ea conditione cessit, ut regis proximus hæres Delphinus vocaretur: ita enim Delphinates principes suos appellabant. Primus hoc Delphini cognomine censūs est Carolus V. Rex Galliæ.

Torquati] Qui torques seu catenas aureas gestant. Manlius Torquatus Gallo, cum quo singulari certamine congressus fuerat, victo torquem detraxit, unde Torquati dicuntur. Livius lib. 7. ab V. C. Plinius lib. 33. cap. 1. Gellius lib. 9. cap. 13. Ovid. lib. 1. Fastorum.

Holosericis] Holoserica vestis est tota ex serico, nulla alia materia: qua primus Romanorum usus est Antonius

tonius Heliogabalus, ut autor est Lampridius. Vide Bayf. de re vestiaria, ein samets Kleid. Vestis holobryza tota ex obryzo, id est, auro, quod in coctione non minuitur, aut quod multipliciter excoctum, purgatissimum jam fit: dictum (teste D. Hieronymo) quasi Ophirisium. Nam ex Ophir insula aurum laudatissimum evehebatur, de qua 3. Reg. 9. recentiores putant esse Spagniolam in India occidentali nuper inventam.

Principes] Quomodo hi electi fuerint apud Germanos, & quæ ipsorum dignitates & qui gradus: vide apud Cornel. Tacitum in libello de moribus Germanorum, & ibi Althamerum.

Marchiones] Marca Germanis est præfectura limitum. Hinc Marchiones præfecti limitum, qui ab imperatoribus & principibus ad administrandas provincias regionesque mittuntur.

Comites] Nomen accepere à comitando, quòd principem aut ducem comitarentur ad bella publicaque negocia. Suntque infra duces, sed supra barones. De Marchionibus & Comitibus vide Hotomannum in lexico Feudali: & Sigonium lib. 7. de regno Italiæ in Othone Magno.

Barones] Baro in historiis recentiorum passim pro viro seu mare usurpatur: ut in Feudis vassi. Vide Hotoman. in lexico feudali & Pithœum lib. 1. adversar. cap. 8.

Equites] qui etiam equites aurati dicuntur, die Ritterschafft. les chevaliers d'or.

Magister] Magister equitum à Dictatore eligebatur, cujus summa potestas erat in equites & accensos, ait Varro lib. 4. de lingua Latina. Vide Sigon. in Fastis anno 255.

Stabilem] Hotomannus cap. 14. Francogalliæ, comites stabuli regii vocat. Vide Lupanum, Gallis Connestabile.

Admiralus] Admiralus à salsugine vel re maritima nomen est recens: quasi halmiralus, ἅλς enim mare est. Ammiral.

Prætorio] Præfectus prætorii à cohorte prætoria dictus est. Apud veteres. n. cohors prætoria erat, quæ consuli aut prætori in provincia semper præstò erat, quasiq; latus ejus cingebat. Postea principes Rom. prætorio, id est, aulæ suæ præfectum constituerunt, quem potentia militari secundum sibi esse voluerunt. Vide Fenestellam de magistratibus, & Pandectas lib. 1. tit. 11. & ibi Budæum. Hodie Marschalck.

Celerum] der Trabanten. Romulus trecentos armatos ad custodiam corporis, quos Celeres appellavit, non in bello solũ, sed etiam in pace habuit: Livius lib. 1.

Talaribus] Ad talos usq; demissis. Hactenus sagati seu militares homines: nunc togati seu consiliarii describuntur. Eorum enim hominum, qui aliquo essent in numero atq; honore, in Gallia olim duo genera fuerunt, ut scribit Cæsar lib. 6. de bello Gallico: alterum Equitum, qui versarentur in bello: alterum Druydum, qui religiones & leges curarent. Franci recentiores, veterem Gallicæ Reipub. partitionem secuti, duo genera itidem fecerũt, alios longæ, alios curtæ vestis homines appellant, quasi togatos & sagatos dicas: gens de longue & courte robe. Vide Ramum in oration. pro philosoph. discipl.

Istos] Locus communis de adjunctis consiliarii principis.

Oculi] Consiliarii sunt ὀφθαλμοὶ καὶ ὦτα principum. Vide proverb. Multæ regum aures atque oculi.

Scribæ] De scribis & eorũ officio ac dignitate eleganter disserit Zas. in tit. Pandectarum de origine juris.

Coactores] Qui pecunias cogunt, Renntmeister.

Tribuni] Schatzmeister / Ærarium populi est fiscus Principis. Vide Rævard. lib. 4. Vario. cap. 4.

Vultuosi] die ernstlich außsehen.

Scriniis] Vulgò Cancellarius: Vide Lupanum lib.2.
Breviarium] in quo regni totius secre ta continentur.
Ducunt] Paulo ante dixit, vultuosos: qui contrahunt frontem, qui obducunt supercilia. Martial.

Qui ducis vultus & non legis ista libenter,
Conveniens Latio pone supercilium.

Procrastinationum] comperendinationũ, dilationum. Persius vocat sufflamina litis.
Cubiculo] Qui vulgò Cubicularius, Gallis chambellanus, nobis Kämmerling dicitur.
Equili] Quem Galli magnũ Scutarium vocant, grand escuyer, der öbrist Marstaller oder Stallmeister. Archippocomus.
Architriclinus] œconomus, promus condus penus regiæ, Hofmeister. Huic, ut Lupanus lib.1. scribit, insigne est scirpus Indicus argentatus. Sic Comitis stabuli insigne est gladius liliatus. Amirali anchora, equitum ordinis conchiliatus torques, haraldi paludamentum, venatorum tuba cornea aut ænea. De scirpo Indiæ, supra vide dialogum Garrientes.
Pocillator] der Schenck/οἰνοχόος, Pincerna.
Structor] Dapifer, der Truchseß. Pincerna & dapifer sunt regis prægustatores, cibum & vinũ prægustant.
Divûm] Hemistichium ex Virgilii Æneid.1. Vide proverb. Cœnæ Deorum.
Atqui] Locus præclarus, quales convivas adhibere debeant principes. Francisci certè Galliarum regis mensa doctis hominibus referta fuisse fertur. Vide præfationem Rami in Gallicam Grammaticam.
Gothica] Gothi gens Scythica, quam Jornandes & Olaus ex septentrionis insula Scandinavia erupisse ferunt. Sub Honorio Imp. anno Christi 414. Romam ceperunt duce Alarico, & Italiam armis subegerunt, linguamque Latinam sua barbarie conspurcarunt. Tanta superbia fuerunt, ut Gothica superbia in proverb. abierit. Vide Jornandem de reb. Geticis, Blondum

dum de inclinatione Rom. imperii lib. 1. decad. 1.
Morem] ut scilicet nemo cum rege cibum sumat, sed ipse solus mensæ assideat.
Asseclas] Lackeyen/ Waffenträger.
Recta] Recta cœna, sportulæ opposita erat. Liberaliores siquidem divites civilioresq; salutatoribus suis legitimum convivium exhibebant, quæ recta cœna dicebatur. Sordidi autem & maligniores, rectæ cœnæ loco sportulam tantum præbebant. Suetonius in Domitiano: Multa etiam in conviviorum usu novavit, sportulas publicas sustulit revocata cœnarum rectarum consuetudine. Recta autem Cœna dicitur, id est, justo ordine discumbentiū exhibita, tanquam rectum justumq; convivium: Galli vocant bouche à court, buccam ad curiam, Germani ein offne tafel. Dicere igitur possumus, rectæ jus habere in aula admissionales, id est, cubicularios, structores, dapiferos, pincernas, archimagiros, architriclinos, dispensatores, honorarios, ephebos & omne denique aulicum ministerium, quos officiarios domus vocamus. Budæus in annot. prior. in Pand. Utrumque Martialis uno versu conclusit:

Promissa est nobis sportula, recta data est.

Vide an Pasbag. cap. 1. Danielis ad rectam cœnam, an verò ad sportulam referatur.
Gynæcium] Gynæcium est locus in ædibus, solis mulieribus ad habitandum datus: dicitur & γυναικωνῖτις, Frauenzimmer.
Parthenone] παρθενὼν Græcè conclave virginum, seu locus in quo asservantur virgines, Plutarchus in Alexandro.
Cupidinis] Cupido filius Veneris, deus amoris.
Pueri] Proverb. Bis pueri senes.
Ultro] Proverb. Ultro citroque.
Circes] Circe filia Solis & Persæ Oceani filiæ, veneficiis homines in varias bestias mutabat, Vide Home.
Odyss.

Odyss.x, Virgil.7.Æneid.Ovid.lib.14.Pro. Circeo poculo.

Ocium] Locus communis de Otio, Otium pulvinar Satanæ.

Alveolo] Alveus & alveolus tabula est lusoria, qua hinc bisseno puncto, illinc quadris discoloribus notata utimur ad lusum talorum, tesserarum & latronum. Grapald. lib. 2. cap. 6.

Aciebus] Acies vulgò ludus lattunculorum: & scaci: de quo Vidas, Schachtspiel.

Planis] Hanc vocem Gellius lib. 16. cap. 7. commemorat inter verba inusitata, quibus usus sit Mimus Laberius, aitque significare sycophantam. Quanquam eodem nomine usus est Cicero pro Cluentio. Est autem dictio Græca πλάνος, significatque tum errorem tum impostorem. Horatius etiam utitur.

Assentatio] Locus communis alius de assentatione.

Uberrimus] Verba sunt Gnathonis parasiti apud Terentium in Eunucho act. 2. scen. 2.

Sententiæ.

Vultus affectus animi sequitur: talis enim est ferè, qualis interior animi habitus.

Omnia pecuniæ sunt venalia.

Consiliarios principum prudentissimos esse oportet, magni rerum usus, & in decernendo gravitatis ac moderationis summæ.

Malum est cæcum & surdum esse: sed pejor est cordis cæcitas & surditas.

Otium multorum vitiorum parens est ac nutricula. Otium est pulvinar Satanæ.

Assentatio præcipua aulæ corruptela est.

Assentationis quæstus est multò uberrimus.

Domus regiæ mores ad cujusvis curam pertinent.

PRINCEPS PUER.

Morobulus, Philippus, Sophobulus.

Dialogus hic totus Politicus est: præcepta enim præscribit puero principi, docetque artem benè gubernandi. Nomina aptè ficta sunt. Morobulus stultus est consiliarius, à μωρὸς stultus & βουλὴ consilium: Sophobulus, prudens consiliarius. Duæ sunt dialogi partes.

Institutio
- Morobuli de
  - Inutilitate studiorum.
  - Præceptoribus.
- Sophobuli de arte gubernandi.
  - Quòd principi sit necessaria: idque ostendit tribus similitudinibus.
  - Quomodo comparanda sit
    - Doctrina: ubi ostendit, quinam consulendi
      - Sint.
      - Non sint.
    - Otii fuga.

1. Morobuli institutio. De studiis literarum.

MOROBUL. *Quid agit tua Celsitudo, Philippe?* PHILIP. *Lego, & edisco, ut ipse intueris.* MOROB. *Intueor sanè, & cum dolore: defatigas te, & maceras generosissimum istud corpusculum.* PHILIP. *Quid ergo agerem?* MOROB. *Quod alii proceres, principes, viri nobiles & opulenti: equitare, confabulari cum puellis Augustæ matris tuæ, saltare, discere artem tractandi arma, lusitare foliis, aut pila: salire, currere: hæc vides esse studia nobilitatis jucundissima. Quod si tantis oblectationibus fruuntur. qui vix digni sunt, ut in familiam tuam admittantur: quid te facere convenit, tanti principis filium & hæredem?* PHIL. *Quid studium literarum, nihil ne prodest?* MOROB. *Prodest quidem*

dem, sed iis, qui sunt initiandi sacris, aut qui ea arte victum sunt sibi comparaturi: quemadmodum aliis sutoria, aliis textoria, & artes cæteræ quæstuariæ. Surge, quæso te, pone libros de manibus, eamus deambulatum, certè ut respires aliquantisper. PHILIP. Non licet mihi nunc per Stunicam & Siliceum. MOROB. Qui sunt hi Stunica & Siliceus? an non subditi tui, in quos tu habes imperium, non illi in te? PHIL. Stunica est educator meus: Siliceus autem institutor literarius. Subditi sunt illi quidem mei, seu verius patris: sed pater, cui ego sum subditus, præfecit illos mihi, & me illis subjecit? MOR. Quid ergo dedit pater celsitudinem tuam in servitutem illis hominibus? PHILIP. Nescio. MOR. Ah facinus indignißimum. SOPH. Minimè verò ô fili: imò illos fecit servos tuos: quos voluit tibi semper adhærere, oculos, aures, animum, mentem in te unum defixam gerere semper, & relictis suis quemque negociis, tuum unius negocium agere: non ut te imperiose vexent: sed ut rudes tuos mores boni illi & sapientes viri ad virtutem, decus atque excellentiam forment: non quo te reddant mancipium, sed ut verè liberum, & verè principem: quibus si non obtemperaveris, tum demum servus eris, extremæ conditionis, pejor iis, qui hic inter nos versantur, emti & venditi ex Æthiopia vel Africa. MOROB. Cujus tandem esset mancipium, si illis edu-

De pædagogis.

11. Sophobuli institutio.

catoribus morem non gereret? SOPHO. *Non certè hominum, sed vitiorum: qui domini sunt importuniores, atque intolerabiliores quovis homine improbo & sceleroso.* PHIL. *Non satis ista intelligo, quæ dicis.* SOPHO. *At intellexisti, quæ Morobulus.* PHIL. *Planißimè omnia.* SOPHO. *O quàm essent homines felices, si quàm citò habent sensum atque intelligentiam rerum levium & malarum: tam citò haberent etiam bonarum & conducibilium. Nunc verò contra evenit, ætate istas nugas, ineptias, imò insanias, ad quas te Morobulus est adhortatus, facile intelligis: quæ ego de virtute, de dignitate, de omni laudis genere dicerem, tam caperes quàm si Arabicè loquerer, aut Geticè.* PHILIP. *Quid ergo faciendum consuleres?* SOPHO. *Ut saltem sustineres adsensionem, nec hujus suasibus, nec meis adquiesceres, quoad de utriusque posses judicare.* PHIL. *Quis dabit hoc judicium?* SOPHOB. *Ætas, institutio, experimenta.* MORO. *Hui, quàm esset longum ista expectare.* SOPHOB. *Bene monet Morobulus: abjice libros, eamus lusitatum, & ludemus ludum, in quo unus eligitur rex: is præscribet aliis quæ sint agenda, parent cæteri juxta leges lusionis: tu eris rex.* PHILIP. *Ut erit ludus? nam si eum ignorem, quomodo potero regem in illo agere?* SOPHOB. *Quid dicis, Philippule dulcißime, deliciæ Hispaniarum, in ludo & rebus levißimis, in quibus error*

De arte gubernandi. Prima similitudo.

ror nihil adfert periculi, non auderes regnum suscipere ludi nescius, & vis tot & tanta regna seriò capessere, ac regere, ignarus conditionum populorum, legum administrationis, denique rudis totius prudentiæ, instructus solum ridiculis ineptiis, quas tibi Morobulus hic in animum instillat? Heus puer, dic præfecto equilis, ut proferat huc equum illum Neapolitanum, ferocissimum calcitronem, & sternacem, in quo Philippus sedeat. PHILIP. Minimè verò illum, sed alium cicuratiorem: nam regendi equi tam refractarii nondum artem habeo, nec vires. SOPHOBVL. Quæso Philippe, & putas tu leonem ullum esse æquè ferocem, aut equum adeò calcitronem & refractarium, & minus parentem frenis, quàm gentes & cœtus hominum? qui conveniunt, & congregantur ex omni viciorum, flagitiorum, & scelerum & facinorum genere: ex animi perturbationibus concitatis, incensis, inflammatis, ardentibus: equum non audes attingere, populum poscis quovis equo ad regendum tractandúmque difficiliorem? Sed missa isthæc faciamus. Vides in hoc flumine illam cymbulam? navigatio est jocundissima atque amœnissima inter prata & salicta, quæso descendamus in eam: tu sedebis ad clavum, & ages cymbam. PHILIP. Ita planè, ut vos subvertam. & demergam, quemadmodum nuper fecit Pimentellulus. SOPHOBV. Nec cymbam quidem

Secunda similitudo.

Tertia similitudo.

quidem gubernare vis in amne tam modico, & tam placido, quia rudis, & committis te mari illi, undis, fluctibus, tempestati populorum, inscius & inexpertus? Planè usu tibi venit, quod Phaëthonti, qui aurigandi nescius, ardore juvenili currum patris sibi gubernandum depoposcit: notam esse tibi fabulam reor. Præclarè Isocrates, duas res maximas in hominum vita dicebat esse, principatum & sacerdotium: quas tamen nemo non expeteret tanquam dignus,; nemo non crederet se rectè posse gubernare, tanquam prudentißimus. PHIL. *Intelligo nihil esse conditioni ac personæ meæ perinde necessarium, ut artem ac peritiam regendi regni.* SOPHO. *Probè rem tenes.* PHILIP. *Quomodo eam assequar?* SOPHO. *Eduxisti tu illam tecum ex matris utero?* PHIL. *Nihil minus.* SOPHO. *Quomodo igitur scies, nisi discas?* PHIL. *Nullo modo.* SOPHO. *Qua igitur fronte audet Morobulus hic esse tibi autor, ut ea studia rejicias, quibus & artis hujus peritia & aliarum rerum maximarum ac pulcherrimarum cognitio paratur?* PHIL. *A quibus ergo sunt hæc haurienda?* SOPHO. *Ab iis, qui ea maximis ingeniis animadverterunt, atque observarunt: quorum alii sunt mortui, alii vivi.* PHILIP. *E mortuis quomodo discendum? possunt ne mortui loqui?* SOPHO. *Nunquámne fando audivisti nominari Platonem, Aristotelem, Ciceronem, Senecam,*

Quomodo ars gubernandi comparanda.

1. Mortui monitores.

cam, Livium, Plutarchum? PHIL. *Magna nomina: sæpe, & cum ingenti admiratione ac laude.* SOPHO. *Illi ipsi, & alii permulti eorum similes, jam olim vita functi, confabulabuntur tecum, quoties & quàm diu libuerit.* PHI. *Quomodo?* SOPHO. *Libris, quos ad docendam posteritatem reliquerunt.* PHILIP. *Quin dantur mihi illi jam in manus?* SOPHO. *Dabuntur brevi, posteaquam didiceris eum sermonem, quo possis loquentes illos intelligere. Sustine paulisper, atque hanc brevem molestiam perfer, quæ devoranda est, in accipiendis principiis: ilicò post incredibiles sequentur delectationes, quas qui nondum degustarunt, mirandum non est à literato studio abhorrere. Nam qui sunt experti, eos citius à vita, quàm à libris & rebus cognoscendis avelleres.* PHIL. *Cedò vero, qui sunt vivi, à quibus sapientia hæc discenda est, & mens bona?* SOPHO. *Si iter esses quodpiam initurus, à quibus tandem de itinere percontareris? utrum ab iis, qui iter illud nunquam vidissent, an qui aliquando confecissent?* PHIL. *Ab iis scilicet, qui confecissent.* SOPHO. *Vita hæc nónne est velut iter quoddam, & profectio perpetua?* PHILIP. *Sic vidètur.* SOPHO. *Qui ergo iter hoc perambularunt, senes an juvenes?* PHILIP. *Senes.* SOPHO. *Senes igitur auscultandi.* PHIL. *Omnes indifferenter?* SOPHO. *Acutè rogas: non omnes promiscuè: sed quemadmodum*

11. Vivi monitores.

modum de via, sic de vita: utri norunt viam, qui eam peregerunt, nihil animadvertentes, aliud agentes, animo non minus peregrinante, quàm corpore: an qui annotarunt diligenter & attentè singula, & memoriæ mandarunt? PHILIP. Nimirum hi posteriores. SOPHOB. Ergo in consilio de vitæ ratione capiendo non audiendi juvenes, qui iter hoc nunquam sunt ingressi, quanto minus adolescentes, & quod stultissimum est atque indignissimum, pueri? neque ad id admittendi senes imprudentes, lascivi, dementes, deteriores pueris: quos divina oracula execrantur, quod sint pueri centum annorum. Solis præbendæ aures senibus magni judicii, usus rerum & prudentiæ. PHILIP. Quo signo eos dignoscam? SOPHOBUL. Nimirum ætate ista, fili, nullo adhuc, sed ubi majus & firmius accesserit judicium, facile id cognosces ex verbis & factis, tanquam nota certissima. Intereà verò, dum ea ingenii facultate non vales, crede te cunctum & committe patri tuo, & iis quos tibi pater adjunxit institutores ac magistros, infirmæque istius ætatis gubernatores, & quasi manuductores per eam viam, quam tu nunquam iniisti. Nam patri, cui charior es quàm ipsimet tibi, major est de te cura, quàm tibiipsi: atque ad eam rem non solùm suo usus est consilio, sed hominum sapientum. MORO. Nimis diu tacui. SOPHOB. Ita planè præter morem

rem tuum, eámque rem ego jamdudum vehementer demirabar. MORO. *An non pater tuus Philippus, & rex Galliæ, & alii magni reges ac principes, sine literis & labore isto tam molesto, quem hic teneris tuis humeris inclementer imponit, regna & ditiones suas regunt & in officio continent?* SOPHOB. *Nulla res tam facilis est, quæ non fiat difficilis si invitus facias. Non est opera literis impensa laboriosa ei, qui libens eam subit: qui autem invitus, ei verò vel lusitare, & in locis deambulare amœnißimis, grave ac intolerandum est: tibi Morobule nugandi avidißimo, & nugis semper adsueto, serium aliquid vel agere, vel audire, instar est mortis: vicißim alii complures vitam sibi existimarent acerbam, si ad istum modum vitæ suæ rationes instituerent. Quam multi sunt; in aulis præsertim: quibus nihil est dulcius, quàm ocium torpens atque inertißimum? admovere manum alicui operi, tormenti est loco: quàm multi vicißim in populis, qui emoriantur citius, quàm sic dies omnes vacuos transigant? & celerius delassentur nihil agendo, quàm ab intensione animi in negocium aliquod? Sed ut respondeam tibi de Cæsare & rege Galliæ, audies à me in universum de senibus: quos posui eos esse, qui spacium hoc vitæ decurrissent. Si omnes, quotquot viam quampiam peregissent, concorditer narrarent, se per viam in locum incidisse plenum difficulta-*

De ocio fugiendo.

Protasis similitudinis.

tis

tis & periculi, ex quo saucii & pessimè adfecti discesserint: quod si ejusmodi iter rursum essent ingressuri, nihil diligentius caverent, quàm illud discrimen: quid tu censes, an non hominis foret amentissimi, cum eadem ipse via insisteret, non recordari tanti periculi, non illud devitare? PHILIP. *Nondum teneo quid velis.* SOPHO. *Faciam igitur planius exemplo: finge esse supra flumen istud tabulam angustam pro ponticulo: referant tibi omnes, quotquot, equo insidentes, tentarint illam transire, decidisse in aquam, adiisse vitæ discrimen, ægrè esse extractos semivivos: intelligis ne hoc?* PHIL. *Bellissime.* SOPHO. *Quid tu jam, an non tibi demens viderêre, si faciens illac iter, non ex equo descenderes & effugeres periculum, in quod alios venisse audis.* PHIL. *Nimirum ita agerem.* SOPHO. *Et merito.* Apodosis. *Quære tu jam ex senibus, qui maximè senserint incommodum in vita, quid eos prætermisisse doleat, & vehementer pœniteat: omnes tibi uno ore respondebunt, qui aliquid didicerunt, Non plus didicisse, qui verò nihil, Non adhibuisse operam, ut aliquid scirent. In hanc querimoniam ingressi, non faciunt finem referendi, missos se fuisse à parentibus, aut educatoribus, ad scholas & magistros literarum: sed tamen vanis delectatiunculis, vel lusionum, vel venationum, vel amorum, aut ejusmodi nugarum illectos, amisisse pulcherrimas è manibus*

discendi

discendi occasiones: itaque conqueruntur de fato suo, & sortem suam deplorant, ac semetipsos accusant, damnant, interdum quoque execrantur. Vides ergo locum hunc desidiæ, atque ignorantiæ esse in via hac vitæ maximè infestum & periculosum, unumque omnium præcipuè devitandum? Quoniam quidem audis tam miserabiles eorum querelas, qui in illum sunt collapsi: is est igitur omni cura & diligentia cavendus, & segnicie, ocio, deliciolis, nugis rejectis ac spretis, in studia literarum cultumque bonæ mentis tota animi intentione incumbendum. Tu de hac re patrem tuum roga, tametsi juvenem adhuc: & tu Morobule tuum, jam senem: intelligetis ex eis, veram esse meam sententiam.

Quid agit] Prima pars dialogi continet institutionem Morobuli, primò de inutilitate studiorum.

Quod alii] A simili. Observa effecta principum.

Augustæ] Augusti nomen à Cæsare Augusto deductum, principibus Rom. tributum olim fuit: postea etiam uxori Principis seu Imperatoris nomen Augustæ concessum est.

Quod si] A majori.

Non licet] Alterum membrum primæ partis de pædagogis & educatoribus. Educator, Hofmeister. Martinus autem Siliceus Philippi R. Hispaniarum præceptor, postea Carthaginensis episcopus fuit, ut scribit Jovius in elogiis.

Minimè vero] Altera pars dialogi continet institutionem Sophobuli, de præceptoribus, ad quem finem dentur principibus.

Mancipium] Mancipium servus est ab hostibus captus,

quasi manu captus. Vide J.C.

Quid ergo] Aliud prudens præceptũ de sustinenda assensione, quam Græci ἐποχὴν vocant, ἀπὸ τοῦ ἐπέχειν.

Quis dabit] Causæ efficientes judicium. Sic Aristoteles lib. 2. Ethico. cap. 1. ἐμπειρίας δεῖται καὶ χρόνου.

Benè monet] Prudenter Sophobulus ad præcipuã partem suæ institutionis de arte gubernandi accedit per insinuationem. Utitur autem Platonico & Isocratico more inductionibus & similitudinibus, quibus primò ostendit, artem gubernandi esse principi necessariam: tribus exemplis, ludi, equi, navigii.

In quo] Prima similitudo. Ut qui ignarus est ludi, quiescit: ita is qui ignarus est imperandi, regnum relinquit. Protasis hic est, sumta ex Horatii arte poëtica:

> Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
> Indoctusque pilæ, discive, trochive, quiescit.

Quid dicis] Apodosis similitudinis, in qua protasis iteratur per speciem majorum.

Heus puer] Secunda similitudo, cujus hîc protasis.

Refractarii] Qui sessori refragatur.

Quæso] Apodosis, in qua itidem protasis iteratur per majora.

Equum] Iteratur eadem similitudo specie majorum, sed brevius.

Vides] Tertia similitudo: cujus hîc est protasis.

Salicta] Syncope, pro saliceta. Salicetum locus est, ubi multæ salices. Vide Vallam de nominibus in etum.

Clavum] Clavus per metaphoram hîc gubernaculum navis significat. Cicero in Catone: Ille autem clavum tenens, sedet in puppi quietus. Virg. Æneid. 5.

> Clavumque ad littora torquet.

Vide Baysium de re navali. Germanis, das steurruder.

Ne cymbam] Apodosis, in qua itidem protasis iteratur per majora.

Plane] Apodosin illustrat exemplo simili Phaëthontis, qui

qui fuit filius Solis & Clymenes: cumq; à patre currum agitandum obtinuisset, sed viam Solis excessisset, totum orbem propemodum incendit. Quare Jupiter iratus Phaëthontem cum fulmine in Eridanum deturbavit: de quo Ovidius 2. Metamorph.

Hîc situs est Phaëthon, currus auriga paterni:
Quem si nō tenuit, magnis tamen excidit ausis.

Isocrates] Eandem apodosin illustrat testimonio Isocratis.

Intelligo] Epilogus doctrinæ de necessitate artis gubernandi: sequitur quomodo ea comparanda sit: nimirum doctrina & otii fuga. In doctrina ostendit qui consulendi sint (ut monitores partim mortui, partim vivi) qui non sint.

E mortuis] Prima pars de mortuis monitoribus. Sic ille præclarè dixit, quòd oporteat συζηγωνίζεσθαι τοῖς τεθνεῶσι.

Cedo verò] Altera pars de vivis monitoribus: quæ etjam constat similitudine.

Si iter] Protasis similitudinis.

Vita hæc] Apodosis.

Senes] Ὅσοι τοῦ βίου ταύτην τὴν ὁδὸν ἐπορεύθησαν, οὗτοι μόνοι τῆς ἀρετῆς ἐφικέσθαι γνησίως ἠδυνήθησαν. Isocrates ad Demonicum.

Indifferenter] Prolepsis est, & ostendit nunc, qui non sint audiendi: idque rursus per similitudinem.

Utri] Protasis.

Ergo] Apodosis.

Amorum] Vide proverb. Bis pueri senes. δὶς παῖδες οἱ γέροντες.

An non] Objectio est.

Nulla] Responsio ex Terentio sumta.

Si omnes] Rursus similitudo est, cujus hîc est protasis.

Quære tu jam] Apodosis cum querela senum de neglectis studiis.

In hanc] Prosopopœja est senū conquerentium. Potest autem ex hac similitudine institui syllogismus hic:

Locus in via vitæ maximè infestus & periculosus, est fugiendus: ibi, Si omnes &c, ubi est protasis.

At desidiæ & ignorantiæ locus in via vitæ, est maximè infestus & periculosus: ibi, Quære tu jam &c, ubi est apodosis.

Quare locus desidiæ & ignorantiæ, est præcipuè devitandus: ibi, Vides ergo locum &c,

Sententiæ.

Vitia, domini sunt importuniores & intolerabiliores quovis homine improbo & scelerato.

Judicium afferunt, ætas, institutio, experimenta.

Duæ maximæ res in vita hominum sunt, principatus & sacerdotium.

Principi nihil perinde necessarium est, ut ars ac peritia regendi regni.

Molestia devoranda est in accipiendis principiis.

Nulla res tam facilis est, quæ non fiat difficilis, si invitus facias.

LVDVS CHARTARVM SEV FOLIORVM.

Valdaura, Tamayus, Lupianus, Castellus, Manricus.

Hic dialogus duas partes habet: Exordium & Lusum. Exordium sumitur à tempore.

1. Exordinm à tempore.

VALD. Quàm asperum tempus, quàm rigens & sævum cœlum, quàm obscœnum solum! TAM. Quid nos monet hic cœli ac soli habitus? VALD. Non egredi domo. TAM. Quid verò domi agere? VALD. Ad luculentum

tum focum ſtudere, meditari, cogitare de rebus, quæ aliquid emolumenti adferant menti, & probis moribus. CASTEL. Id quidem agendum præcipuè, nec aliquid debet eſſe homini antiquius. Sed ubi ab intentione illa delaſſatus fuerit animus, quo divertet, hoc duntaxat tempore? VALD. Aliis quidem aliæ ſunt animorum refectiones: ego verò luſu foliorum magnoperè oblector ac recreor. TAM. Et hæc temporis qualitas eò invitat, ut abdamus nos in cubiculum bene clauſum, & obſeptum undique à vento & frigore, lucente camino, menſa poſita cum chartis. VALD. Aû, minimè chartas. TAM. Luſorias dico. VALD. Iſtud placet. TAM. Tum pecuniæ promatur nonnihil & calculi ad computandum. VALD. Nihil opus erit calculis, ſi minutuli adſint numi. TAM. Ego nullos habeo præterquam aureos, & argenteos craſsiores. VALD. Commuta aliquos ex argenteis minuta pecunia: heus puer, cape ſtuferos hos ſimplos, ſesquiduplos, triplos, & à numulario cura nobis nummos minutos, ſimplos, duplos, triplos, non majores. TAM. Quàm nitidi ſunt hi numi? VALD. Nimirum recentes adhuc, & aſperi. TAM. Concedamus in forum aleatorium, ubi omnia inveniemus parata. CASTE. Non expedit, nam haberemus arbitros plurimos: quid refert ludas illic an via publica. Conſultius fuerit, ut recipiamus nos in cubiculum tuum, & accerſa-

cersamus ex sodalibus aliquot, maximè animo refocillando idoneos. TAM. *Tuum conclave est ad id commodius: nam in meo cubiculo subinde à pedissequis matris interpellaremur, aliquid semper quæritantibus in arcis mundi muliebribus.* VALD. *In cœnatione igitur.* TAM. *Esto ita, eamus. Puer, siste hic nobis Franciscum Lupianum, & Rodericum Manricum, & Zoilastrum.* VALD. *Mane: minimè verò Zoilastrum, hominem iracundum, rixosum, clamosum, calumniatorem, & qui minimis de rebus excitat sæpe atroces tragœdias.* CASTEL. *Optimè profectò mones: nam si adolescens talis recreationi se nostræ admisceret, non esset id ludere, sed seriò rixari: accerse igitur pro illo Rimosulum.* VALD. *Neque hunc, nisi velis, quæcunque hic fuerimus nugati, ante solis occasum nota esse toti civitati.* CASTEL. *Tam bonus est præco?* VALD. *Etiam rerum quas scire nihil attinet, nam res bonas sacratius reticet quàm mysteria Eleusinia.* TAM. *Veniant ergo Lupianus & Manricus soli.* CASTEL. *Hi sunt belli sodales.* TAM. *Et mone illos, ut adferant secum numulos: quicquid est autem severitatis & serii, domi commendent Philopono tetrico: veniant facetiis, lepôre, gratiis comitati.* LVPI. *Salvi sitis sodales festivißimi.* VALD. *Quid sibi vult contractio istæc frontis? exporrigite istos vulticulos: an non estis jußi, cogitationes*

tiones omnes literatas apud Musea deponere? LVPI. Cogitationes nostræ literariæ sunt adeò illiteratæ, ut eas Musæ, quæ sunt in Museo, respuant. MANR. Salvete. VALD. Salus est dubia, quando ad acies & pugnas vocamini, & quidem quibus reges sint interfuturi. TAM. Este bono animo: crumenæ impetuntur, non jugula. LVPI. Crumena plerisque est pro jugulo, pecunia pro sanguine ac spiritu, velut istis Caribus, quorum vitæ contemtus instrumentum est regibus ad exercendos suos furores. MANR. Nolo ego esse actor in hac fabula, sed spectator. TAM. Qui sic? MAN. Quia sum infortunatissimus, semper à ludo discedo victus & spoliatus. TAM. Scis quid dicunt proverbio aleatores? ibi quærendam esse togam, ubi amiseris. MANRIC. Verum, sed periculum est, ne, dum togam amissam quæro, perdam & tunicam, & interulam. TAM. Accidit quidem hoc non raró: sed qui non periclitatur, non ditescit. MANRIC. Ea est metallicidarum sententia. TAM. Imò etiam Iani medii Antverpiensis. VALD. Rectè habet: non possumus nisi quatuor ludere, sumus quinque, sortiemur quis erit aliorum spectator. MANRIC. Ego ero sine sortitione. VALD. Nihil tale, nulli est facienda injuria: non cujusquam voluntas id decernet, sed sors: cui primus rex obtigerit, sedebit ociosus spectator, & si quid inciderit controversiæ judex. LVPI. Ecce vobis fasci-

11. Lusus.

Sortitio.

culos duos foliorum integros: alter est Hispaniensis, alter Gallicus. VALD. *Hispaniensis hic non videtur justus.* LUPI. *Quid ita?* VALD. *Quoniam desunt decades.* LUPI. *Non solent illi habere, ut Gallici. Chartæ enim Hispanæ, quemadmodum & Gallicæ, in quatuor sunt genera seu familias divisæ. Hispanæ habent aureos nummos, carchesia, baculos, enses. Gallicæ, corda, rhombulos, trifolia, vomerculos, seu palas, seu spicula: est in quaque familia rex, regina, eques, monas, dyas, trias, quaternio, pentas, senio, heptas, ogdoas, enneas. Gallicæ habent etiam decades: & Hispanis aurei & carchesia potiora sunt: pauciora contrà enses & baculi. Gallis autem plura sunt semper meliora?* CAST. *Quo lusu ludemus?* VALD. *Triumpho Hispanico, & distributor retinebit sibi indicem chartam, si sit monas, aut imago humana.* MANR. *Sciamus jam quis erit ludo exclusus.* TAM. *Probe mones, cedò folia: hoc est tuum, hoc istius, hoc Lupiani: tu es judex.* VALD. *Malim te mihi judicem, quam collusorem.* LUPI. *Bona verba: cur istuc quæso?* VALD. *Quia es in ludendo admodum vafer, & cavillator: tum ajunt te artem tenere componendi folia, ut tibi expediat.* LUPI. *Non habet fraudem mea lusio: sed imperitiæ tuæ industria mea videtur impostura, quod ferè ignaris contingit. Cæterum, quî tibi placet Castellus? qui simul ac lucratus est pauxillum*

Chartæ,

Triumphus.

xillum pecuniæ, deserit collusores. TAM. *Eludere est hoc quidem potius, quàm ludere.* VALD. *Levius hoc malum: nam si vincatur, adfixus erit ludo, clavo plusquàm trabali.* TAM. *Sed lusuri sumus bini, duo contra duos, quomodo erimus comparati?* VALD. *Ego ludi hujus insciens, adhærebo tibi Castello, quem audio esse callentissimum.* TAM. *Adde etiam callidissimum.* CASTEL. *Non est hîc opus electionibus, sorti sunt committenda omnia: quibus obvenerint plura puncta, adversus eos pugnabunt, quibus pauciora.* VALD. *Esto ita, adsigna folia.* MANR. *Ut optaveram, ego & Castellus ab eadem stamus parte, contrarias tuentur partes Valdaura & Tamayus.* VALD. *Sedeamus uti solemus. X. decussate: da mihi illam sellam reclinatoriam, ut quietius perdam.* TAM. *Appone scabella, assideamus jam: sortire cujus sint primæ partes.* VALD. *Meæ sunt, distribue tu Castelle.* CAST. *Quomodo? à sinistra in dexteram, more Belgico? an contra, Hispano more, à dextra in sinistram?* VALD. *Hoc more, quoniam ludo Hispanorum utimur: & rejecistin' decades?* CAST. *Etiam, quot folia dabo singulis?* MANR. *Novena. Sed quænam erit sponsio?* VALD. *Terni in singulas manus denarii cum geminatione sponsionis.* CASTE. *Sensim mi Manrice, nimium properas: non esset is lusus, sed furor, ubi tantum pecuniæ veniret in periculum;*

Socii.

Modi distribuendi.

Sponsio.

 lum;

lum: quomodo tu posses oblectari in anxietate illa, ne tot nummi tibi pereant? denarii singuli sufficient, & auctus sponsionis erit dimidii, nempe aßium quinque. VALD. *Rectè consulis: ita nec nihil ludemus, quod est insipidum, nec quod doleat, quod est acerbum?* CAST. *Habetis singuli novena folia? cordium est familia dominatrix & hæc regina est mea.* VALD. *Nescio quàm felix est omen hoc: certè est verißimum, dominari vulgò corda fœminarum.* CASTEL. *Desine speculationes: responde ad hoc, augeo*

Certamen,

sponsionem. VALD. *Ludum habeo dißipatum, & male cohærentem: cedo tibi.* TAM. *Et ego item: distribue tu Manrice.* VALD. *Quid agis? non vertis chartam indicem?* MANR. *Volo prius meas computare, ne plures aut pauciores acceperim.* VALD. *Unam habes plus justo.* MANR. *Deponam.* VALD. *Non est ea lex lusus, sed ut vicem tuam amittas distribuendi, & transeat ad sequentem: cedo folia.* MANR. *Non faciam, quandoquidem nondum protuli indicem.* VALD. *Imò facies per Deum.* CASTEL. *Apage, quid tibi venit in mentem mi Valdaura? Iusjurandum admisces rebus levissimis, quod vix gravißimis rebus adhiberi convenit.* MANR. *Quid tu dicis judex?* LUPI. *Profectò ignoro quid sit in eo facto statuendum.* MANRIC. *Qualem judicem nobis præfecimus sine judicio, ducem sine oculis?* VALD. *Quid ergo*

ergo fiet? MANR. Quid tandem? nisi ut mittamus Lutetiam, qui hac de re adferat nobis aliquod Senatusconsultum. CASTEL. Misce omnia, & rursum impartire. TAM. O qualem ludum mitto de manibus, non obveniet mihi hodie similis. CAST. Misce probè isthæc folia, & præbeto singulis attentius. VALD. Rursum augeo sponsionem. TAM. Num non prædixi, non habiturum me hodie in manibus ludum illi parem? semper sum infortunatißimus: cur ergo ludum vel aspicio oculis? CASTEL. Hoc verò non est ludere, sed se adflictare: hoc est refici & recreari animum, ita concitari? ludum oportet esse ludum, non molestiam. MAN. Sustine paulisper, ne abjicias folia: nam est panicum. VALD. Responde igitur an recipias. MANR. Recipio, & rursum augeo. VALD. Quid tu speras me ferocibus tuis verbis protelare? non concedo. MANRIC. Effare tandem semel, & expedite, admittisne? VALD. Etiam, & quidem libentißimè: & animus instigat me tali ludo majore precio certare, sed istud inter amicos sufficit. TAM. Quid verò me non computatis inter vivos? adeò nulla est mei mentio? CASTELLVS. Quid igitur tu ad hæc homo fœnee? TAMA. Ego verò augeo mea ex parte depositum. MANRI. Quid tu dicis Castelle? CASTEL. Nunc me consulis, posteaquam tua opera depositum crevit immensum: ego incrementum hoc non aude-

anderem hoc meo ludo ſuſtinere. VALD. Reſponde adfirmatè. CASTEL. Non habeo quod ſic reſpondeam, ſed valdè ambiguè & dubitanter, & cunctabundè, & timidè, & diffidenter: eſtne ſic ſatis expreſſe dictum? MANRI. Deum immortalem, quanta copia! non tam denſa nuper cadebat grando. Sed quæſo te periclitemur paulisper. CAST. Experiamur, quando ita tibi placet, à me verò ne ſperaris magnam opem. MANRI. Feres tamen quas poteris ſuppetias. CAST. Nihil neceſſe id habes admonere. MAN. Planè victi ſumus. TAM. Vicimus denarios quatuor: miſce. VALD. Addo aſſes quinque. CAST. Neſcio an cedam: nam ſcio me certè victum iri. TAM. Rurſum alteros quinque. CAST. Quid tu ad hanc provocationem dicis? MAN. Quid dicam? fugio. CAST. Tu perdidiſti proximum ludum, ſine me hunc arbitratu meo perdere. Sentio me eſſe inferiorem: ſed ſuſtinendum eſt, quam diu aliquid videro ſupereſſe virium. VALD. Quid ergo dicis? recuſas? CASTEL. Non, imò addico. TAM. Tu Valdaura non noſti hunc Caſtellum? ſuperiorem habet ludum tuo, ſed ita ſolet callidos provocatores illectare in ſuum rete: Vide ne quò progrediaris temere: ubi tenearis irretitus. VALD. Divûm fidem, quomodo potuiſti divinare, folium mihi poſtremum reſtare hujus nationis? CAST. Novi omnia folia. VALD. Non omninò eſt iſtuc

incre-

incredibile. CASTEL. Ita planè novi à facie. VALD. Forsitan etiam à tergo. CASTEL. Nimium suspiciosus es. VALD. Tu me facis: eat hoc cum tua bona venia. TAM. Dispiciamus, num quæ sint chartæ aversæ maculatæ, unde possint noscitari. VALD. Faciamus quæso nos ludendi finem, angit me hic ludus, tam infeliciter cedendo. CASTEL. Ubi voles: sed fortasse non in ludo est vitium, sed in tua imperitia, qui nescis ludum scienter ad victoriam accommodare, sed jacis folia absque arte, ut sors tulerit: ratus nihil interesse, quid prius, quid posterius mittas, quid quo loco sis jacturus. TAM. Omnium rerum est satietas, etiam voluptatum: & ego defessus sum jam sedendo, adsurgamus aliquantisper. LUPI. Cape testudinem hanc, & aliquid nobis cantilla. TAM. Quid tandem? LUPI. De ludo quippiam. TAM. Carmen Vergilii? LUP. Isthuc ipsum: aut si mavis Vivis nostri, quod ille nuper canebat deambulans in pomœrio Brugensi. VALD. Anserina voce. LUPI. Cane tu olorina. TAM. Deus meliora: nam olor non canit, nisi fato jam urgente.

Finis ludi.

Ludunt & pueri, ludunt juvenesq; senesq;:
Ingenium, gravitas, cani, prudentia, ludus.
Denique mortalis, sola virtute remota,
Quid nisi nugatrix, & vana est fabula vita?

VALD. Possum vobis confirmare esse carmen benè expressum, tanquam ex spongia arida. LUPI.

PI. *Tanta cum difficultate componit carmen?*
VALD. *Magna, sive quòd raro, sive quod non libenter, sive quòd aliò fert eum ingenii pronitas.*

Chartis] Locus & jocus ex ambiguo.

Mundi] Mundus muliebris, Weiber geschmuck/ quo mulier mundior fit l. argumento. 25. De aur. arg. legat.

Zoilastrum] Est hîc descriptio personæ ex adjunctis. Zoilaster autem est Zoili imitator. Fuit autem Zoilus poëta quidam malignus, qui contra libros Homeri scripsit: unde dictus est Homeromastix, id est, Homeri flagellum. Hos commentarios in Homerum Ptolemæo tyranno Ægyptiorum obtulit, ingens videlicet præmium sperans. Verum cum nihil mitteretur, penuria coactus, misit qui peterent. Ibi Ptolemæus ait se mirari, cum Homerus tot annos defunctus, tot hominum millia pasceret, Zoilum egere, Homero doctiorem. Vide proverb. Zoili.

Neque hunc] Alludit ad etymon seu notationem nominis. Terent. Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo.

Eleusinia] Mysteria Eleusinia sacrificia Cereris erant, quæ ad Eleusin celebrabãtur, nullo alio (ut Justinus in initio lib. 5. ait) quàm silentio sacra, quæ quoniam evulgavit Alcibiades, accusatus est: ut ibidem Justinus & Thucydid. lib. 6. Acarnanes duo juvenes (ut Livius lib. 1. decad. 4. scribit) per initiorum dies, non initiati templum Cereris imprudentes religionis, cum cætera turba ingressi sunt. De Æschylo, qui Eleusinia Cereris mysteria publicavit, vide Aristotelem lib. 3. Ethico. cap. 1. Heraclidem Ponticum lib. 1. de Homero. Ælian. lib. 5. Variæ histor. cap. 19. Vide & Acronem in 2. Horat. oda. lib. 3.

Acies] Locus ex ambiguo,

Jugu-

Jugula] Proverb. Jugulum petere.
Pecunia] Hesiodus pecuniam animam mortalibus esse dicit.

χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι.

Huc pertinet illud è comœdia quapiam.

Τ' ἀργύριόν ἐστιν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς.

Caribus] Strabo lib. 14. scribit Cares tota quondam errasse Græcia, passimque stipendia meruisse. Unde hic Cares sumit pro venalibus & animæ suæ contemptoribus, qui vili lucello vitam vendunt. Vide proverb. In Care periculum.
Periclitatur] wagen gewinnt/wagen verleurt.
Jani] Janus medius locus est, ubi fœneratores & mercatores conveniunt. Cicero in officiis & Horat. lib. 2. satyr. 3. ea significatione utuntur. Sunt autem Jani transitiones perviæ, ut Lipsius cap. 10. selectorum: fueruntque duo Romæ Jani, superior & inferior: alii tres fuisse volunt, in quibus est Acron interpres Horatii. Dicti autem sunt à Jano Deo bifronte, de quo Ovid. lib. 1. Fasto.
Non possumus] Secunda pars dialogi est ipse Lusus, in quo sunt Sortitio, Chartæ, Triumphus, Socii, Modus distribuendi, Sponsio, Certamen.
Sortiemur] 1. Sortitio.
Ecce vobis] II. Chartæ Hispanienses & Gallicæ.
Quo lusu] III. Genus ludi seu Triumphus.
Clavo] Cicero act. 7. in Verrem: Et ut hoc beneficium, quemadmodum dicitur, trabali clavo figeret. Vide proverb. Clavus trabalis.
Sed lusuri] IV. Socii.
Callidissimum] Paronomasia.
Decussatè] Decussis Romanis non solum pro decem assibus, sed etiam pro numero denario sumitur, ut ex Vitruvio intelligere licet. Hinc decussare est rem aliquam dividere in eam notam quæ decem Latinis significat. X. Sic Cicero in lib. de universitate: Decussavit,

cussavit, id est, in figuram X. composuit, dixit. Vide Baifium de vasculis.

Quomodo] v. Modi distribuendi.

Sponsio] v 1. Sponsio. Quænam erit sponsio? was soll es gelten?

Manus] auff ein jeden wurff.

Geminatione] Geminare, bieten/ich beut darauff.

Denarii] Denarius argenteus Rom. nummus erat, valens quatuor sestertios, id est, 4. blapardos Basilienses, estq; decima pars Coronati solaris. Dicitur denarius a decem æreis assibus. Dimidius igitur valet quinque assibus, id est, duobus blapardis.

Dominatrix] Infra vocat chartã indicem, die triumph-karten.

Desine] v 11. Certamen.

Jusjurandum] Locus communis de jurejurando.

Panicum] Πανικὸν veteres vocabant subitũ animorum tumultum, sed inanem. Existimabant enim Panem Deum repentinos terrores & animi consternationes immittere, lymphaticis similimas, usq; adeo impotentes, ut non ratione modò, verum & mente careant. Pausanias in Phocaicis, ἐν δὲ τῇ νυκτὶ φόβος σφίσιν ἐμπίπτει πανικός, τὰ γὰρ ἀπὸ αἰτίας οὐδεμιᾶς δείματα ἐκ τούτου φασὶ γίνεσθαι. Politia miscell. cap. 38. τὴν τῶν αἰφνιδίων φόβων καὶ ταραχῶν αἰτίαν τῷ Πανὶ ἀνατιθέασιν. Cicero hoc verbo sæpè utitur in epistolis ad Atticum. Vide proverb. Panicus casus.

Protelate] Verbum Terentianum est.

Depositum] gewett. Deponere wetten. De hoc superius alicubi diximus.

Denarios quatuor] xv 1. blapardos, vel novem batzios & sex nummos seu unum blapardum.

Ad victoriam] Alludit ad illud Terentianum: Ita vita est hominum, quasi cum ludas tesseris: Si id, quod jactu opus est, non jacias, arte id corrigas.

Satietas] Πάντων μὲν κόρος ἐστὶ καὶ ὕπνου καὶ φιλότητος.

Olorina] Proverb. Cygnea cantio.

LEGES

LEGES LVDI.

Varius dialogus de urbe Valentia.

Borgia, Scintilla, Cabanillius.

Valentia urbs Hiſpaniæ, Vivis patria, cui Ptolemæus 14. gradus longitudinis: 39. latitudinis tribuit. Vide eandem in 4. tab. Europæ. Eſt & alia Valentia in Gallia, de qua vide 5. tab. Europæ. Continet autem hic dialogus magna ex parte deſcriptionem patriæ Ludovici Vivis. Partes ejus ſunt duæ: in priore deſcribit duas urbes, Lutetiam, cum ſuis ludis, & Valentiam: in altera præſcribit leges ludi. Lutetiam verò Ammianus Marcellinus Pariſiorum caſtellum vocat. Julianus Imp. in oratione, cui titulus αὐλιοχικὸς ἢ μισοπώγων, vocat τῶν παρισίων τὴν πολίχνην: ubi etiam oſtendit, qua cauſa ſemel Lutetiæ coactus ſit cibum rejicere vomitu, tum videlicet, cum Gallicæ conſuetudinis impatiens, qua cœnacula per fornaces calefiebant, illatis in cubiculum vivis carbonibus, eo nidore fermè extinctus eſt. Vide Beatum Rhenanum lib. 3. rerum Germanicarum, in fine: Ægidium Corrozetum de antiquitat. Pariſienſ. & Zuingerum lib. 3. methodi Apodemicæ.

I. Pars. Lutetia.

BORGIA. *Unde tu jam nobis Scintilla jucundiſſime?* SCINT. *Lutetia.* BORG. *Qua tandem Lutetia?* SCINT. *Qua tandem quæris? quaſi ſint multæ?* BORG. *Etiam ſi ſit unica, ea quænam ſit ignoro, aut ubi ſita.* SCINT. *Lutetiæ Pariſiorum.* BORG. *Pariſios nominari audieram, & quidem ſæpè, Lutetiam nunquam: eſt ergo Lutetia, quos nos Pariſios dicimus? Ea igitur eſt cauſa, cur tu tam diu nulli es viſus Valentiæ, & potiſſimum in ſphæriſterio nobilitatis?*

tatis? SCINT. *Alia ego vidi Sphæristeria Lutetiæ, alia Gymnasia, alios ludos, longè istis vestris utiliores ac præstantiores.* BORG. *Ecquos quæso?* SCINT. *Triginta Gymnasia plus minus in Academia illa, omni eruditionis, scientiæ & sapientiæ genere referta: doctos præceptores, juventutem studiosissimam, & optime moratam.* BOR. *Vulgus scilicet hominum.* SCINT. *Quid tandem vocas vulgus?* BORG. *Fecem plebis, filios sutorum, textorum, tonsorum, fullonum, & ejusmodi artificum atque operariorum.* SCINTIL. *Vos hic, ut video, ex vestra hac civitate metimini orbem universum, & eosdem tota Europa existimatis esse mores, quos hic: dico juventutem illic esse frequentissimam principum, procerum nobilium, & hominum locupletissimorum, non ex Gallia modò, sed ex Germania, Italia, Britannia, Hispania, Belgica, admirabiliter addictam studiis literarum, parentem institutorum præceptis & jussis: quorum mores non simplici tantum admonitu formentur, sed acri reprehensione, cum est opus, etiam castigatione, plagis, verberibus: quæ omnia accipiuntur, & perferuntur animis moderatissimis, & vultu modestissimo.* CAB. *Audivi sæpenumerò ejusmodi narrari mihi, cùm agerem in Gallia legatus Ferdinandi regis. Sed omitte quæso nunc ista: aut differ aliud in tempus: vides nos esse in ludo miraculi, cui est proximum Carossorum:* hos

Valentia.

hoc age, de pila sit jam sermo oblectandi nostri gratia. SCINTIL. Amabo, ne adsideamus, sed deambulantes colloquamur, quæ fuerit collibitū: qua ibimus? hácne per divi Stephani, an illac ad portam regalem, & visemus in regia Ferdinandum ducem Calabriæ. CAB. Ne fortè optimi principis interpellemus studia sapientiæ? BORG. Præstabit mulas accersere, ut vehentes loquamur. CABAN. Ne amittamus quæso usum pedum & crurum, tempus est sudum ac serenum, & aura frigidiuscula, satius erit pedestres quàm equestres incedere. BORG. Eamus hac igitur per divi Iohannis Hospitalis, ad vicum marinum. CABAN. Spectabimus obiter decoras formas. BORG. Apage, pedestres? erit dedecori. SCINTI. Majori est mea sententia dedecori, viros pendere de judicio puellarum rudium atque ineptarum. CAB. Vis ne ut rectà eamus per plateam ficus & divæ Teclæ? SCINT. Non, sed per vicum tabernæ gallinaceæ? nam in eo vico cupio videre ædes, in quibus natus est Vives meus: sunt enim, ut accepi, descendentibus ad sinistram postremæ in vico: & invisam eadem opera sorores ejus. BORGIA. Omitte nunc visitationes muliebres: si mulierem vis alloqui, eamus potius ad Angelam Zabatam, cum qua erunt confabulationes literatæ. CABANIL. Vtinam si id cupitis, adesset Marchiona Zeneti. SCINTILLA. Si vera sunt, quæ de illa, cum

Deambulatio per urbem.

essem in Gallia, audivi, majus est id argumentum, quàm ut de illo tractari leviter, & ab aliud agentibus vel posit, vel debeat. Borg. Ascendemus ad divi Martini, an descendemus per vicum Vallesii, ad plateam villæ rasæ? Cab. Hac, inde ad sphæristerium Barzii, seu mavis Masconorum. Borg. In Gallia habetísne ad hunc modum ludos in publico? Scin. De aliis Galliæ urbibus non possem tibi respondere: Lutetiæ scio nullum esse: sed in privato multa, velut in suburbiis divi Iacobi, divi Marcelli, divi Germani. Cab. Et in ipsa civitate famosissimum, quod vocant Bracchæ. Borg. Luditur eadem illic ratione, qua hic? Scint. Eadem prorsum: nisi quod magister Ludi præbet illic calceos, & pileos lusorios. Borg. Cujusmodi sunt? Scint. Calcei sunt coactilitii. Borg. Non essent hîc utiles. Cab. Videlicet in via lapidosa: in Francia verò & Belgica luditur super pavimentum lateribus constratum, planum & æquabile. Scint. Pilei sunt æstate leviores: in hyeme autem crassi, profundi, cum offendice sub mento, ne in agitatione vel elabantur ex capite: vel decidant in oculos. Borg. Offendimento hic non utimur, nisi cùm est ventus vehementior: sed quales habent pilas? Scint. Nullos ferè folles: ut hic. sed sphærulas minores vestratibus, & multo duriores, ex corio albo: tomentum est, non ut in vestris, lanugo è pannis consa-

Ludus pilæ.

tensa, sed pili ferè canini: eamque ob causam rarò luditur palma. BORG. Quomodo ergo percutiunt pilam? pugno, ut folles? SCINT. Ne sic quidem, sed reticulo. BORG. Confecto ex filo? SCINT. Ex fidibus crassiusculis, quales ferè sunt sextæ in testudine: habent funem tensum, & reliqua, ut hic in ludis domesticis: sub funem misisse globulum, vitium est, seu peccatum: signa sunt bina, seu mavis metas: numeri quaterni, quindecim, triginta, quadragintaquinque, seu antegressio, æqualitas numerorum: victoria, quæ est duplex, ut cum dicitur, vicimus signum, & vicimus ludum. Pila autem vel ex volatu remittitur, vel ex primo resultu: ex secundo enim ictus est invalidus, & ibi fit signum, ubi pila est percussa. BORG. Non sunt aliæ lusiones, quàm sphæra? SCINT. In civitate, quot hìc, aut plures, sed inter scholasticos nulla alia permissu magistrorum exercetur: sed interdum clam luditur foliis & aciebus: pueruli talis, nequiores taxillis. Nos institutorem habebamus Anneum, qui obscœno die lusum foliorum concedebat: sed de illo, & in universum de lusione omni tulerat sex leges, quas descriptas in tabella appenderat in cubiculo. BORG. Ne graveris, rogo te, & eas nobis referre, quemadmodum alia fecisti. SCIN. Pergamus deambulare: nam incredibili teneor desiderio patriæ adspiciendæ, tam diu à me non visæ. BORG. Conscendamus mulas, ut ambule-

bulemus commodius, tùm etiam honestius. SCIN. *Honestatem hanc non emerim crepitu digitorum.* BORG. *Ac ne ego quidem, ut verum fatear, manum ob eam moverim: sed nescio quo pacto magis id videtur decere nostras personas.* CAB. *Isthuc quidem recte, sed sumus tres, & in angustis viis; aut hominum frequentia disjungeremur: unde necesse esset vel interrumpi sermonem, vel multa semper à nostrum aliquo non exaudiri, neque intelligi.* BORG. *Esto sanè ita: pergamus pedestres, ingredere per angiportum hunc ad plateam Pegnarogiorum.* SCINT. *Optime, inde per fabros claviles ad vicum dulciarium, tum ad forum fructuarium.* BORG. *Quin potius olitorium?* SCINTI. *Utrumque est, qui libentius oleribus vescuntur, vocent olitorium: qui fructibus, fructuarium. Quæ amplitudo fori? quæ descriptio vendentium, & rerum venum expositarum? qui odor ex fructibus? quanta varietas, mundicies, nitor? non possunt horti excogitari huic foro pares, quæ autem ædilis nostri, & ejus ministrorum solertia & diligentia, ne quis emtor fraude à venditore capiatur? Estne ille, qui mula vehitur, Honoratus Ioannius?* CABAN. *Non, ut arbitror, nam unus ex meis pueris, qui eum modo convenit, reliquit illum abdentem se in bibliothecam suam: qui si sciret nos una esse, non deesset haud dubie nostro sermoni, & nostris ludis seria sua posthaberet.*

Forum.

BORG.

BORG. Profer tandem leges. SCINTIL. Extricemus nos ab hac turba per plateam divæ Virginis redemtoriæ, ad ficum fumalis, & divi Augustini, ubi minor est frequentia. CABAN. Ne discedamus tam procul ab urbis corpore: ascendamus potius per vicum crumenarium ad clivum, inde ad vicum militarem, & ædes familiæ vestræ Scintilla, cujus parietes lugere adhuc videntur mihi heroëm illum, comitem Olivanum. BORG. Imò luctu deposito, talem juvenem in tanti senis locum successisse seriò triumphant. SCINTIL. O quàm juvat intueri curiam, & quadruplex forum, præfecti urbis (quod jam ferè familiæ vestræ Cabanilliæ hæreditarium videtur) civile, criminale, & tercentum solidorum? quæ ædificia? quæ facies urbis? BORGI. Nusquam potes rectius ferre leges, quàm in foro & curia, ede tandem. Nam de laudibus, seu de admiratione potius nostræ civitatis aliàs dicendi erit locus aptior. SCINTIL. Prima lex, quando ludendum. Homo propter res serias est conditus, non propter nugas & lusus: lusus autem reperti ad reficiendum animum lassum à seriis: tunc igitur ludendum, cùm animus aut corpus erit defatigatum: nec aliter sumendum, quàm somnus, cibus, potus, & alia, quæ vires renovant ac reficiunt: alioqui in vitio est, quemadmodum alia, quæ non suo fiunt tempore. Secunda lex, cum quibus ludendum.

Curia.

II. Pars de legibus ludi.

Prima.

Secunda.

dendum. Quemadmodum facturus iter, aut iturus ad convivium, diligenter dispicis, qui sint futuri sodales, aut comites: sic in ludo animadvertendum, cum quibus ludes, ut sint homines tibi noti: nam in ignotis magnum est periculum, & verum proverbium Plauti: Lupus est homini homo, qui qualis sit, non novit. Sint etiam belli, festivi, comes, cum quibus periculum non sit, ne rixeris, aut pugnes, aut aliquid vel facias, vel dicas turpiter atque indecorè, ne sint blasphemi in Deum, aut dejeratores: ne in dictis spurci, ne quid ex contagione adfricetur tuis moribus pravum, aut flagitiosum: denique sint ii, qui non aliam ad ludum mentem adferant, quam tu: nempe ut à labore conquiescat, & levetur animus. Tertia lex, quo ludo. Primum noto: nam in ignoratione non potest subesse delectatio, nec ludentis, nec collusorum, nec spectatorum, deinde quod simul animum reficiat, & corpus exerceat, si quidem tempus ac valetudo patitur. Sin secus, ludus sit, in quo non omnia possit mera sors: insit etiam peritia: quæ possit casum corrigere. Quarta lex, qua sponsione. Nec nulla sponsione, quod est fatuum, & celerrimè exatiat: nec ita magna, quæ ipsa lusione inquietet animum, & si vincaris, mordeat ac discruciet, non est hic lusus, sed carnificina. Quinta lex, quemadmodum, ut, antequam ad ludendum adsideas, reputes te ad refocillandum animum venire.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

nire, in cujus aleam conjicias pauculos numos, hoc est, emas illis refectionem defatigationis. Cogita esse sortem, hoc est, variam, incertam, instabilem, communem: nullam idcirco tibi fieri injuriam, si perdas, ut id feras æquo animo, ne contrahas vultum, & suffundas eum tristitia: ne prorumpas in convicia & maledicta, aut adversus collusorem, aut quempiam ex spectatoribus: si lucrifacias, ne sis in collusorem insolenter dicax: prorsum toto ludo sis comis, hilaris, facetus, jocosus, citra scurrilitatem & petulantiam, ne des significationem ullam fraudis, sordium, aut avaritiæ, in contentione ne sis pertinax, minimè omnium jurato, memor rem illam totam (etiam si meliorem causam habeas) non esse tanti, ut nomen Domini adferas in testimonium. Spectatores memineris esse velut judices ludi: si quid illi pronunciarunt, cedito, nullam edens notam improbationis: hoc modo & lusus fit delectatio, & probi adolescentis grata est educatio ingenua. Sexta lex, quamdiu ludendum. Quoad sentias animum renovatum jam, & reparatum ad laborem, & vocat hora ad negocium serium. Qui secus faxit, improbè factum videri, velitis Quirites, jubeatis. BOR. *Sicuti rogavit.*

Sexta.

Nulli] Alii nullus: ut Terentius. Etsi nullus dixeris.
Sphæristerio] im Ballenspil.
Præceptores] Ut fuerunt Vatablus, Danesius, Tusanus, Coronæus, Orontius, Latomus, Poblatius: Guidacerius,

rius. Paradisus, Stracelius, Vidius, Gallandius, Sylvius, Goupylus, Ramus, Turnebus, Vicomercatus, Auratus, Hamelius, Calignius, Pena, Mercerus, Bertinus, Bainus, Quinquarboreus, Lambinus, & alii tam veteres quam recentiores.

Ferdinandi] Qui fuit rex Hispaniæ, pater Philippi, avus Corali V. Imp.

Vides] Post descriptionem Lutetiæ, sequitur descriptio Valentiæ per partes: ut sunt deambulatio per urbem, ludus pilæ, forum, curia.

Hoc age] Proverbium est, quo jubemus aliquem esse attentum.

Stephani] Ellipsis est, subaudi ædem.

Calabriæ] Calabria, regio est Italiæ. Vide Strab. lib. 6. & proverb. Calabri hospitis munera, id est, rusticana & levia.

Hospitalis] Intelligit domum Joannitarum, qui Rhodii equites dicuntur, & pro patrono Joannem Euangelistam habent.

Rasæ] De hac platea suprà diximus in dialogo 4.

Coactilitii] gefilzt oder gefütterte schuch. aut qui stricti sunt, enge schuch.

Offendice] Bendel.

Tomentum] Tomentum est, quo culcitra aut pila farcitur, sive ex fœno & palea, sive ex coma harundinum, sive ex pluma, seu è xylino lanáve, sive rasura è pannis lineis per fullonem carduis detracta.

Sextæ] Vulgò der grosse Bomhart.

Obscœno] die Saturnaliorum seu Bacchanalium, seu Hilariorum, an der Faßnacht.

Moverim] Proverb. Manum non verterim.

Ædilis] Ædilem vocat Cicero eum, qui ædium sacrarum privatarumq; curam habebat: & vias publicas curabat, Baumeister. Fuit autem & ædilis Cerealis, qui annonā curabat & mensuras, vendentiumq; fraudes coërcebat, Græcis ἀγορανόμος, Marckmeister.

Redem-

Redemtoriæ] Quasi diva virgo nos redemerit. Hispanice nuestra sunnora de la merced.

Curiam] Curia locus est habendi senatus, das Rathhauß.

Forum] Forum superius significavit locum rerum venalium: hic significat locum judicii, Richthauß: quod quadruplex facit.

Forum:
- Præfecti urbis, deß Stattvogts oder Stattpflegers.
- Civile, rerum hæreditariarũ & contractuum, der Bürgerlichen händel.
- Criminale, ubi agitur de delictis publicis, Malefitz oder Halßgericht.
- Trecentorum solidorum: quod omnium minimum est.

Nusquam] Hactenus prima pars dialogi: nunc sequitur secunda de legibus ludi.

Homo] Finis hominis per diversa.

Lusus] Finis lusus.

Nec aliter] à simili.

Quemadmodum facturus] Similitudo est, cujus hic protasis.

Sic in] Apodosis.

Nam] Ratio apodoseos ab adjuncto periculo: & illustratio è testimonio Plauti in Asinaria. Vide prov. Homo homini lupus, ἄνθρωπος ἀνθρώπῳ λύκος.

Dejeratores] Dejerare est per Deum jurare: pejerare est falsum jurare.

Quirites] Quirites cives Rom. dicti à Quirino primo rege, qui & Romulus est dictus. Vide Ovid. lib. 1. Fastor. Solennia autem erant apud Rom. verba in legibus ferendis, Velitis jubeatis Quirites, ut passim apud Livium videre est. Dabantur autem cuiq; civi suffragium ferenti, duæ tabulæ: una cum nota A. id est, antiquo: altera cum nota V. R. id est, uti rogas, quæ erat nota approbandi.

COR-

CORPUS HOMINIS EXTERIUS.

Durerius pictor, Grynæus, Velius.

Dialogus hic duas partes habet. Prior est Exordium. Altera continet examen picturæ Durerianæ. Fuit autem Albertus Durerus insignis pictor Germanus, cujus adhuc monumenta extant. Simon Grynæus utriusque literaturæ mathematicesque & sacrarum literarum cognitione clarus. Basileæ docuit, & ibi sepultus est. Caspar Ursinus Velius, poëta & historicus insignis, Maximiliani II. Imp. præceptor fuit, ut Jovius in elogiis doctorum virorum scribit.

I. Exordium.

DURERIUS. *Facessite hinc, nam vos nihil emetis, sat scio, & estis mihi impedimento, quo minus accedant emptores propius.* GRYN. *Imò verò nos volumus emere: modò vel precium relinquas nostro arbitratui, & tempus ipse præscribas: aut contra, nos tempus, tu precium.* DURER. *Bella negociatio, mihi nihil est opus tricis ejusmodi.* GRYN. *Cujus est hæc imago, & quanti indicas?* DURE. *Imago est Scipionis Africani, & indico sestertiis numis quadringentis, aut non multò minoris.* GRY. *Quæso te, priusquam verbo uno eam addicas nobis, examinemus artem picturæ: & hic Velius est sesquiphysicus, peritißimus humani corporis.* DURERIUS. *Jam dudum intelligo me à vobis intricari: sed interea dum mercatores nulli adsunt, nugamini quantum libuerit.* GRYN. *Nugas tu vocas peritiam artis tuæ, quid faceres alienæ?* VELI.

II. Examen.

Primùm

Primum omnium verticem contexisti capillis multis & planis, cum vertex dicatur quasi vortex, à vertendis capillis, ut in fluviis videmus, cùm aqua se convolvit. DVRE. Inepte, non consideras eum esse male pexum, more illorum temporum. VELI. Brechma habet inæqualiter deflexum. DVRE. Acceperat vulnus miles ad Trebiam, cum servavit patrem. GRYN. Ubi tu id legisti? DVRER. In Decadibus Titi Livii amißis. VELI. Tempora sunt nimis tumentia. DVRE. Cava essent signum dementiæ. VELI. Occipitium vellem videre. DVRE. Verte tabulam. GRYN. Cur dixit Cato inter cætera oracula: Frons occipitio prior est. DVRE. Quàm estis fatui: an non in quovis homine prius cernis frontem quàm occiput? GRYN. Quosdam prius video aversos, quàm adversos. DVRE. Et ego libenter, ut tales emptores & milites. VELI. Cato sensit, præsentiam domini potiorem esse ad curationem rerum, quàm absentiam. Cæterum cur antias adeò longas? DVRER. Loqueris de his caproneis? VELIVS. Etiam. DVRER. Non habuerat multis mensibus tonsorem ad manum, velut in Hispania. VELI. Glabellam hanc cur contra ipsius verbi etymon fecisti hirtam. DVRER. Tu ipse vulsellis pilos detrahito. VELI. Et vibrissas extantes extra nares: sed tu, quæ tua est versutia, culpam abs te rejicies in tonsorem. DVRER. Inscie, non animadvertis eos

CAPVT. Vertex. Brechma. Tempora. Occipitium Frons. Antiæ. Capronea. Glabella. Vibrissæ.

fuisse

fuisse ætatis illius mores: severos, tristes, rusticanos? VEL. *Imperite, non legisti Scipionem hunc ex omnibus sui temporis hominibus excultissimum, & politissimum fuisse, & amantem elegantiarum?* DVRER. *Expressus est, cum exularet Literni.* GRYN. *Supercilium hoc est grande & conveniens Latio. cilium habet nimis canum, & genas depressas.* DVRE. *Ex vigiliis castrensibus.* GRYN. *Tu non solum es pictor, sed rhetor, valdè versatus in translatione criminum.* DVRE. *Et vos, quantum intelligo, in criminationibus.* VELI. *Malas habet nimium tumentes, & buccas istas.* DVRER. *Inflat classicum.* GRYN. *Et tu inflabas calicem, cum hæc pingeres.* VELIVS. *Imo verò utrem. sed alibi fecisti pilosum, palpebras ferè nullas adpinxisti.* DVRER. *Ex morbo illi deciderunt.* GRYN. *Quo morbo?* DVR. *Quære ab illius medico.* GRYN. *Iámne intelligis, ob tuam tantum imperitiam, detrahi debere de summa centum sestertios?* DVRE. *Imò ob vestras cavillationes & interrogationes adeò molestas, addi ducentos oportere.* VELI. *Pupulas habet hic glaucas, atqui ego audivi cœruleas habuisse.* DVRE. *Et ego cæsias, ut Minervam bellatricem.* VELI. *Hirquos fecisti nimium carnosos & sinus humentes.* DVRE. *Flebat accusatus à Catone.* VELI. *Mandibulæ sunt nimis longæ, & barba densissima ac profusissima, tum pilos dicas setas porcinas.* DVRER. *Vos*

Supercilium. Genæ. Malæ. Palpebræ. Pupulæ. Hirqui. Mandibulæ. Barba.

Vos sine modo ullo estis loquaces, & argutuli cavillatores. Abite hinc: nam tabulæ non fiet vobis amplius copia. VELI. *Amabo mi Dureri, dum alios non habes licitatores, sine nos hic cavillari.* DVRE. *Qua mercede?* VELI. *Adscribemus ambo hic tibi singula disticha, quo tabula fiat vendibilior.* DVRE. *Nihil opus est meæ arti vestra commendatione: nam periti emptores & picturæ intelligentes, non emunt versus, sed artificium.* VELI. *Sed nares habet nimium patulas.* DVRE. *Erat iratus accusatoribus.* VELI. *Non videmus valleculam.* DVRE. *Latet sub barba: ac ne mentum quidem cernitis, neque anthereonem.* GRYN. *Horum omnium fecisti tu compendium beneficio grandis barbæ.* VELI. *Collum placet mihi rectum, & musculosum, item juguli.* DVR. *Gratulandum est superis, quod tibi aliquid probatur.* VELI. *At ne nihil in hoc quoque desiderem, jugulos non habet satis cavos: quod in Socrate Physiognomon adnotatum, tardi esse ingenii signum pronunciavit. Armos istos voluissem paulo erectiores & ampliores.* DVRER. *Non tam erat miles bellator quàm imperator. Non audivisti apophthegma hujus? de quo cùm milites quidam dicerent, non adeò eum esse valentem militem, ac imperatorem sapientem: is respondit, Imperatorem me genuit mater mea, non militem. Sed discedite, si non estis emturi: nam video accedentes*

Nares.
Vallecula.
Mentum.
Collum.
Juguli.
Armi.

dentes quosdam negociatores publicanos. VELI. Eamus deambulatum, & inter nos de humano colloquemur corpore, sine Scipione ac tabula. Simus nasus non decet generosam faciem. GRYN. Quid bosimus? quales fuerunt Hunni. VELI. Apage monstra? GRYN. Silones non sunt minus deformes. Persæ aquilos venerabantur propter Cyrum, quem ferunt ea fuisse forma. VEL. Ancon & campe sunt in bracchio, quod in crure poples & genu, lacertus inde usque ad manum, à cujus musculis etiam crura dicuntur lacertosa. GRYN. Nonne is est cubitus, ut apud mensores? VELI. Est is quidem cubitus, & ancon ipse cubitus. GRYN. Unde ergo rex Rom. Ancus? VELI. Ab incurvo cubito. GRYN. Manus sequitur, maximum omnium instrumentorum, secta in digitos, pollicem, indicem, medium, sive infamem, minimo proximum, minimum. VELI. Cur medius infamis? quid designavit flagitii? GRYN. Institutor noster dixit, se quidem scire causam, nolle tamen edisserere, quod esset turpis. Ne quæsieris igitur: non enim decet bonæ indolis adolescentes turpia scrutari. VELI. Atqui minimo proximum δακτυλικὸν Græci appellant, quasi annularem. GRYN. Ita planè: sed in sinistra, non in dextra, quod in eo soliti essent olim annulos gestare. VELI. Qua de causa? GRYN. Ajunt à corde protendi illuc venam, quæ cum annulo redimitur, velut cor ipsum coronatur.

Nasus. Truncus. Cubitus. Manus. Digiti.

ronatur. Nodi digitorum sunt condyli, & pro pugni percussu vox ea usurpatur. Inter nodos sunt internodia, & generali verbo artus, atque articuli. Tiberium Cæsarem memoriæ produnt tam firmis fuisse digitorum articulis, ut digito recens malum terebraret. VELI. *Didicisti chiromantiam?* GRYN. *Ne nomen quidem ipsum audieram: quid ita?* VELI. *Divinasses hic nobis aliquid ex incisuris.* GRYN. *Negavi me scire: & res sic habet: sed si nunc me nosse aliquid profiterer, & attentius manum tuam contemplarer, libenter me auscultares, & homini ejusce imposturæ imperitissimo fidem non omninò abrogares.* VELI. *Quî sic?* GRYN. *Quia id est hominum ingenium, ut libenter eos audiant, qui se recondita, vel eventura profitentur enunciaturos.* VELI. *Unde sunt Scævolæ?* GRYN. *Quasi scævæ: à scæa, quæ est sinistra. Ajunt in sexu fœmineo esse scævas plures, quàm in nostro.* VELI. *Quæ est vola?* GRYN. *Cavum manus, ubi incisuræ.* VELI. *Quid involare?* GRYN. *Id quod tu agis: libenter furari, surripere, quasi vola abscondere, & quod rabiosa Lucretia, involare in oculos pedissequarum. Reliquum corpus, demto capite, est truncus, & ex trunco thorax, concavum pectoris usque ad ventriculum & costas: concavum quidem interius: nam exterius, inter brachia & pectus, sinus est. Sub ventriculo est venter, & in ventre imo pecten, & pu-*

Condyli.
Articuli.
Incisuræ.
Vola.
Thorax.
Venter.

denda. VELI. *An non pudendus magis podex, sive anus?* GRYN. *Utrumque pudendum: posterius ob turpitudinem, anterius ob flagitium & dedecus. Femur, & ut olim loquebantur, femen, nunc malunt plurativè femina: à genu est crus, cujus os tibia dicitur: carnosum verò illud posterius, sura: postremò pes, manui non absimilis, nam & digitos habet, & volam, quæ & vestigium dicitur, & solum pedis.* VELI. *Quid? num non vestigium, quod à pede imprimitur?* GRYN. *Et illud ipsum, & solum pedis.* VELIUS. *Nostin' quæ sint in corpore virtutum sedes?* GRYN. *Quæ tandem?* VELIUS. *In fronte pudor, in dextera fides, in genu misericordia.* GRYN. *Planta pedis, non est ipsum solum pedis.* VELI. *At sic putant multi.* GRYN. *Atqui Plinius scribit esse gentem, quæ sibi umbram faciat in meridie planta pedis, quam habent vastam admodum atque enormem: quî fieri id potest?* VELIUS. *Profecto planta est, à cruris vertebra ad digitos.*

Femur.
Crus.
Pes.

Modo vel] Sophisma est.

Bella] Ironia est.

Tricis] Trica & Apina oppida Apuliæ, ut Plinius lib. 3. cap. 11. Hinc in plurali Tricæ & apinæ proverbialiter dicuntur res futiles ac nugatoriæ. Nonius Marcellus tricas impedimenta & implicationes interpretatur, ἀπὸ τῶν τριχῶν, id est, pilis, quibus involvuntur pulli gallinacei. Martialis:

Sunt apinæ, tricæque, & si quid vilius illis.

Indicas] Licitari, indicare, addicere, mercantium verba sunt.

sunt. Licitari, fäilsen. Indicare, bieten/anschlagen.
Addicere, darschlagen.
Sestertiis] hoc est, X. Coronatis.
Sed interea] Altera pars dialogi, cujus rursus duæ partes sunt. Caput & truncus.

Capitis partes.

Vertex die scheittel.
Tempora der schlaff.
Frons die stirn.
Capronæ widerburst.
Supercilium augbrauen.
Genæ wangen.
Brechma das vorder theil deß Kopffs.
Occipitium das genick.
Antiæ schopff an der stirn.
Vibrissæ haar in der nasen.
Cilium augenlid.
Malæ, buccæ, backen.
Palpebræ haar in augenlidern.
Hirqui augenwinckel gegen der nasen.
Mandibula kinback.
Nares naßlöcher.
Mentum das kin.
Collum der halß.
Nasus naß.
Nasus simus flach/breit.
Nasus bosimus gar flach.
Silo kumpffnaß/übersich gekrümpt.
Aquilus habichsnaß/ gebogene naß.
Pupula augapffel.
Sinus augenwinckel gegen dem schlaff.
Barba bart.
Vallecula das grüblin am kin.
Anthereon die käl/unter dem kin.
Juguli die käl/drossel.

Vortex] Locus ab etymologia, qui illustratur à simili.
Brechma] synciput, anteriorem partem capitis.
Trebiam] Legendum est Ticinum. Nam, ut Livius lib. 1. decad. 3. scribit, P. Scipio Africanus, annum agens 17. principio secundi belli Punici (quod cœpit anno 535.) ductus in castra à patre P. Cornelio Scip. circumventum ab hostibus patrem interventu suo liberavit ad Ticinum fluvium Italiæ: qui postea ad Trebiam fl. castra posuit. Mortuo in Hispania patre, cum natus esset annos 24. Carthaginem novam uno die expugnavit, Asdrubalem superavit, Siphacem regem vi cepit, reversus Romam triumphavit. Cos. in expeditionem Asiaticam profectus, omnia suis auspiciis rexit, Antiochum sub jugum misit, accusatus demum, quòd prædam Asiaticam non totam in ærarium contulisset, Liternum secessit in villam suam, pertæsus ingratitudinem urbis. Ravisius in Epithetis.
Livii] Jocus, id est, nusquam.
Tumentia] hoch/alta.
Verte] Alius jocus.
Cato] De re rustica, cap. 4. Proverb. Frons occipitio prior: cujus hic explicatio duplex est, una falsa & ridicula, altera vera. Huc pertinent versus isti: Fronte capillata est, post hæc occasio calva: Parte nequit calva posteriore capi.
Fatui] Ridicula explicatio.
Cato] Vera explicatio.
Antias] Antiæ, capronæ sunt crines propenduli, quibus mulieres olim, hodie stulti aulici utuntur, haarschopff/ haarlöcklein. Vide Festum. Lucilius vocat capronas.
Tonsorem] Tonsores in Italiam venêre ex Sicilia post Romam conditam anno 451. antea intonsi fuerunt. Primus omnium radi quotidie instituit Africanus. Plin. lib. 7. cap. 59.

Glabel-

Glabellam] interstitium inter palpebras, glabrum seu sine pilis.
Etymon] Dicitur enim glabella, quasi glabra.
Hirtam] pilosam.
Vulsellis] Vulsella forceps est ad evellẽdos crines, unde vulsella à vellendo dicitur, ein rupffzänglein.
Vibrissas] vibrissæ, narium pili.
Literni] Oppidum Campaniæ Liternum. Plinius lib. 3. cap. 5.
Latio] Martialis: Conveniens Latio pone supercilium.
Criminum] Locus est, Rhetoribus notus, in genere judiciali, cum quis culpam à se in aliam rem aut personam transfert. Vide Ciceron. libellos Rhetoricos.
Buccas] Vide proverb. Quicquid in buccam venerit.
Classicum] Proverbium est, Classicum canere, lermen schlagen.
Utrem] ein Sackpfeiff/utriculum.
Palpebras] Pilos in ciliis, haar in augenlidern.
Centum] id est, duos coronatos cum semisse.
Ducentos] id est, quinque coronatos.
Glaucas] Glaucus color Græcis dicitur, qui Latinis cæsius: quales oculos noctua & leo habent: grawe augen. Cœruleus color, quasi cœluleus, proprius cœli sereni. Hinc cœrulei oculi, blawe augen. Cicer. lib. 1. de Nat. Deo. cæsios ait oculos Minervæ, cœruleos Neptuni esse. Vide Thilesium de coloribus.
Minervam] Hinc Homerus sæpe illud usurpat, γλαυκῶπις ἀθήνη.
Hirquos] Hirqui sunt oculorum anguli, versus nasum, qui & canthi dicuntur. Servius in Virg. eclog. 3. augenwinckel.
Sinus] Sinus sunt anguli oculorum versus tempora.
Accusatoribus] Vide Valer. Max. lib. 3. cap. 7.
Valleculam] Concavitatem inter labrum inferius & mentum, das grüblein.
Anthereonem] Ἀνθερεὼν mentum, ἀπὸ τοῦ ἀνθεῖν, quòd in

eo barba efflorescat. Suida teste etiam sic λάρυγξ, id est, guttur dicitur seu buccula sub mento, das knöpflein am halß.

Musculosum] Musculus seu lacertus est quiddam confartum & torosum, compositum ex nervis, carne & ligamento. Nomen sumptum est à figura, quia alia parte tenuior est, alia torosior & amplior, die mäuß.

Jugulus] Juguli sunt duo ossa, à collo ad humeros extensa: vocantur & furculæ, κλεῖδες, quarum mentionem facit Demosthenes, inquiens, Philippum fregisse jugulum. Plinius inquit, soli homini duos jugulos esse, dextrum & sinistrum.

Physiognomon] Naturæ ex oris habitu & corporis lineamentis cognoscendæ peritus: naturæ cognitor: qui hominum mores naturasq; ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscit. Aristoteles de physiognomia libellum scripsit: & de syllogismo physiognomonico in Organo. Vide Gellium.

Imperator] Kriegsoberster.

Publicanos] Publicani erant equites Rom. ferè, qui publica vectigalia populi Roman. & ultro tributa, quæstus sui causa conducebant: ex quibus alii mancipes, alii prædes, alii socii erant: Sigon. lib. 2. de antiq. jur. civ. Rom. cap. 4.

Hunni] Attila rex Hunnorum in Pannonia, hodie Ungaria, regnavit. Vide Jornandem de rebus Geticis & Procopium.

Cyrum] Πέρσαι τῶν γρυπῶν ἐρῶσι, καὶ καλλίστους ὑπολαμβάνουσι διὰ τὸν Κῦρον, ἀγαπηθέντα μάλιστα τῶν βασιλέων, γεγονέναι γρυπὸν τὸ εἶδος. Plutarch. in Apophth. Vide Xenoph lib. 8. Pædiæ.

Ancon] Hactenus CAPUT: sequitur TRUNCUS. Sed ἀγκὼν & καμπὴ græca sunt.

Crure] schenckel.

Poples] kniebug.

Ancus] Vide Livium lib. 1. Fuit autem quartus Rom. Rex.

Maximum] ὄργανον ὀργάνων: quo nomine Aristoteles Logicam appellavit.

Pollicem] à pollendo dictum, græcè ἀντίχειρ.

Proximum] Qui etiam annularis dicitur, Goldfinger. Vide Gellium. Minimus etiam auricularis dicitur: ohrenfinger.

Infamis] Hinc proverb. Medium digitum ostendere: Εσκιμαλίχθαι. Εσκιμαλίσαι enim est medium digitum ostendere, contractis cæteris ignominiæ causa. Vide Suidam.

Condyli] Condyli sunt articuli digitorum eminentes. Hinc condylus pugnus, ein faust / & κονδυλίζειν, pugno ferire, mit fäusten schlagen. Hercules in Oenei convivio puerum, qui manibus aquam fundebat, condylo interemit, εὐωχούμενος παρὰ Οἰνεῖ, κονδύλῳ παίσας, ἀπέκτεινεν Εὔνομον τὸν Ἀρχιτέλους παῖδα, κατὰ χειρῶν διδόντα, ut est in argumento Trachiniarum Sophoclis. Hellanicus Archiam vocat. Vide Athenæum lib. 9. ad finem. Cœlium lib. 3.

Internodia] gleich.

Tiberium] Vide Suetonium in ejus vita, & Dionem.

Chiromantiam] Chiromantia vanissima impostura est, qua divinare quidam conantur ex incisuris manuum, à χεὶρ, manus, & μαντεία, divinatio.

Pecten] Pecten est os transversum & latius sub ventre, quod munit intestina.

Plinius] lib. 7. cap. 2.

Sententiæ.

Frons occipitio prior est.

Non decet bonæ indolis adolescentes turpia scrutari.

In fronte pudor, in dextra fides, in genu misericordia.

EDVCATIO.

Flexibulus, Grympherantes, Gorgopas.

Ultimi duo dialogi παραινετικοὶ ſeu Ethici ſunt: quorum in priore inſtruit puerum principem, in altero alium quemvis in genere.

Flexibulus nomen eſt à Varrone profectum, qui flexibula utitur. Gorgopas nomen fictum eſt à torvitate vultus: qualis Gorgonis fuiſſe dicitur. Hinc γοργωπὸς, Gorgûs oculos ſeu faciem habens. Eurip. in Hercule furente. Sancta autem & prudentiſſima in hoc dialogo Vivis præcepta ſunt: quæ omnibus principum filiis notiſſima eſſe oportebat. Nam haud dubiè cum rebus humanis multò melius ageretur. Partes dialogi tres ſunt. Exordium, Contentio & Epilogus. Exordium continet occaſionem & cauſam finalem.

I. Exordiū.

FLEXIBVL. *Quánam gratia miſit te huc ad me pater tuus?* GRYMPHE. *Dixit te eſſe hominem egregie inſtitutum, ſapienter educatum, eáq; de cauſa gratum huic civitati: cupere ſe, ut ego eisdem, quibus tu, veſtigiis inſiſtens, perveniam ad ſimilem favôrem populi.* FLEXIB. *Quomodo igitur te id adſecuturum cenſes?* GRYMPH. *Ingenua educatione, quali te omnes prædicant eſſe præditum. Adjecit pater, eam educationem magis decere me, quàm alium*

II. Contentio.

quemvis. FLEXIB. *Cedo mi fili, quomoda ea in re venis à patre imbutus?* GRYMPH. *Non tam me pater præceptis inſtruxit, quàm patruus quidam meus, vir ſenex, verſatus multum & diu in Regum comitatibus.* FLEXIB. *Qui ergo illi*

te

te docuerunt, mi fili & amice? GORG. Vide, vir prudentißime, ne forte per ignorantiam labaris in dictum aliquod, aut factum stultum, vel rusticanum, unde amittas istud nomen optimè educati. FLEXIBVL. Quid? támne leviter apud vos perit? GORGO. Vel unica vocula, unico flexu poplitis, unica inclinatione capitis. FLEXIB. Nimis est inter vos delicatum & infirmum, inter nos enim multò est robustius & firmius. GORGO. Sic sunt nostra judicia, ut nostra corpora, quæ nullam ferunt offensionem. FLEXIB. Imò, ut est videre, facilius ferunt corpora, quàm animi. GORG. Fortasse tu non nosti hunc, ideò filium & amicum nominas. FLEXIB. An non sunt hæc honesta nomina, & plena benevolentiæ? GORG. Benevolentiæ credo, quam nos haud magni sanè facimus: sed non reverentiæ, neque officii, quæ nos anxiè venamur: nam hic dominus solet appellitari, non amicus. An non animadvertis domini præfationem ante prænomen, & famulos versicolores? non adnotasti in avi hujus solennibus parentalibus tot cæreos, tot insignia, tot homines atratos? FLEXIB. Quid ergo adfectas tu omnibus esse dominus, nulli amicus? GRYMPH. Ita docuerunt me propinqui mei. FLEXIB. Edat jam, mi domine, tua excellentia præclara illa tuorum consanguineorum documenta. GORGOP. Videris tu mihi puerum hunc naso suspendere: at non est quilibet,

Documenta paterna.

ne feceris. GRYMPH. *Primum esse me ex honestißima progenie, quæ nulli cedat per universam hanc provinciam: idcirco curandum mihi diligenter, atque adnitendum, ne degenerem à majorum meorum virtute: illos parasse sibi magnum decus: nemini concedendo de loco, de dignitate, de autoritate, de appellatione: me idem debere facere. Si quis quid velit de honore detrahere, pugnandum statim cum eo: de pecunia oportere esse largum, atque adeò profusum: in honore astrictum & attentum: decere nihilominus, me ac mei similes assurgere aliis, via cedere, ducere, reducere: nudare caput, poplitem incurvare: non quod alius quispiam id mereatur à me sibi exhiberi, sed quod sic conciliabo mihi favorem hominum, captabo auram popularem, & parabo illum, quem tantopere gestamus semper in ore, & in corde, honorem. In ea educatione situm esse discrimen nobilis & ignobilis, quod nobilis ad illa omnia dextrè præstanda institutus est, atque adsuefactus: ignobilis agresti more nihil illorum doctus est facere.* FLEXIB. *Et excellentiæ tuæ, domine, qualis videtur ejusmodi institutio?* GRYMPH. *Qualis vero? nisi multò optima, & digna meo genere.* FLEXIB. *Quid ergo est aliud, quod à me requiras?* GRYMPH. *Nihil planè restaret mea sententia: nisi accesißisset voluntas patris, qui jußit prorsum seu verius imperavit rigide, ad te venirem, ut*

si

si quid in hac educatione nosses magis reconditum, & quasi mysterium sacratius, quo majus mihi decus acquirerem, in gratiam sui ne gravareris exponere, quò familia nostra, alioqui honestissima, & celsissima, altius ascenderet: quoniam sunt non pauci novi homines, qui freti sua opulentia, nactique dignitatem & honores, per divitias emerserunt, adeò ut etiam audeant cum vetustate & decoribus gentis nostræ contendere. FLEXIBVL. Facinus nefandum, GRYMPH. Nónne? FLEX. Vel cæco esset clarum. GRYMP. Itaque novi illi homines ambulant comitati longo assеclarum ordine, ipsi segmentati, in vestibus vel bombycini villosi intercisi, vel texti Attalici ut nos nihil esse præ illis videamur, qui villato vestimur, dissimulandæ paupertatis gratia. Præmium autem hujus tui laboris, si operam hanc navaris patri, erit, recipi te in numerum nostræ familiæ, & admitti ad illius gratiam & meam: ut procedente tempore, aliquod à nobis accipias beneficium, sisque semper in nostra clientela, & quasi tutela. FLEXIBVL. Quid potest dici amplius, aut optabilius? Sed cedo jam, si aperias caput, ac cedas via ac loco, appelles blandè: quam ob causam eris gratus iis, quibus cum versabere? GORGO. Ob eam ipsam causam, quia hæc ago. FLEXIB. Isthæc omnia exteriora sunt solum signa, quæ denotant aliquid esse in animo tuo, propter quod diligare:
nam

nam ipsa per se nemo diligit. GRYMPH. *Quid ni diligant omnes, quæ sunt honestæ conversationis, in mea præsertim nobilitate?* FLEXIB. *Parum admodum es progressus, quod liceat inter nos dicere: & tu te pervenisse jam arbitraris ad summum.* GRYMPHE. *Nihil necesse habeo parare mihi literas atque eruditionem, majores mei reliquerunt mihi, unde vivam: quod etiam si desit, nõ istis est mihi artibus quærendum, tam ignobilibus, sed hastæ cuspide, & ense districto.* FLEXIB. *Animose isthuc quidem & fortiter: quasi verò, quia es nobilis, non sis futurus homo.* GRYMPH. *Bona verba.* FLEXIB. *Ecquæ tandem parte tui es homo?* GRYMPH. *Me toto.* FLEXIB. *An corpore, quo non differs à beluis.* GRYMPH. *Minimè.* FLEXIB. *Non ergo te toto, ratione igitur & mente.* GRYMPH. *Quid ni?* FLEXIB. *Si hanc ergo sinis incultam & sylvestrem, excolis autem corpus, & illi uni studes, an non transis ab humana in ferinam conditionem? Sed ad id, de quo cœperamus loqui: nam hæc digreßio, si vellem mihi indulgere, longißimè nos à proposito abduceret. Verùm cùm tu cedis de via, & nudas caput, qualem te esse alii existimant?* GRYMPH. *Nobilem, & generosè informatum atque institutum.* FLEXIB. *Nimium durus es, nihil ne domi audivisti de animo, de probitate, de modestia, de moderatione?* GRYM. *In templo nonnunquam audivi de concionatoribus.*

ribus. FLEXIB. *Cùm illa abs te vident occurrentes fieri, judicant te esse adolescentem modestum. probum, bene de ipsis judicantem, de te autem moderatè, qua ex opinione nascitur benevolentia & favor.* GRYMPH. *Explicatius id quæso.* FLEXIB. *Huc pertinet mea ratio: si te homines existimarent adeo superbum, ut si omnes contemneres præ te, nudare tamen caput & genu flectere, non quòd ipsis is honor debeatur, sed quod te deceat: putas tu ullum fore, qui tibi haberet gratiam, aut te de honoris illa falsa simulatione diligeret?* GRYMPH. *Quid ni?* FLEX. *Quia id tu tibi præstas, & tua gratia facis, non illorum? quis enim judicabit se devinctum tibi de eo, quod pro te ipso feceris, non pro se? an ego honorem eum velut mihi impensum accipiam, quem tu tribuis opinioni de te, non meis meritis?* GRYMPH. *Ita videtur.* FLEXIB. *Ergo paratur benevolentia, si illi credant sibi honorem illum dari, non ut tu habearis comior ac nobilior: istud verò non fiet, nisi eam de te induant opinionem, quod tu illos esse potiores ducas te, & dignos quibus tu concedas.* GORG. *At non est ita tamen.* FLEXI. *Quantumcunque hoc sit falsum, in eo tamen necesse est eos falli: alioqui nunquam consequeris, quod tantoperè expetis.* GRY. *Quæ igitur erit persuadendi via?* FLEXIB. *Facilis, modò animum sedulò advertas.* GRYMPH. *Profer quæso, nam ea de causa huc sum missus, & eris*

Tradit nova documenta.

De vera moderatione.

& eris semper in nostra clientela. FLEXIB. Nimis crudum est hoc pomum. GRYMPH. Quid tu mussas? FLEXIB. Dico viam esse unicam: si sis talis, qualem te credi cupis. GRYMPH. Quî isthuc? FLEXIB. Si vis aliquid calfacere, adfers ne fictum ignem? GRYMPH. Non, sed verum. FLEXI. Si scindere, an pictum in tela gladium? GRYMPH. Non, sed ferreum, FLEX. Non est igitur eadem vis rerum verarum quæ fictarum? GRYMPH. Apparet non esse. FLEXIB. Nec tu idem efficies simulata moderatione, quod vera, nam falsa ipsa se aliquando produnt: vera semper sunt eadem. In ficta moderatione aliquid aliquando dices, aut facies publicè aut privatim, cùm tibi excides (neque enim semper te & ubiq; poteris observare) unde fictus deprehendaris? & quantum prius ignotus diligebare, tantum postea cognitus sis odio, & longè plus. GRY. Quomodo ego mihi ipse indicam germanam illam animi moderationem, quam tu præcipis? FLEXIB. Si persuaseris tibi id, quod res habet, alios esse meliores te. GRYM. Meliores verò ubi tandem? in cœlo credo: nam in terra pares sunt paucißimi: melior nemo. Sic audivi sæpè de patre & patruo. FLEXIB. Multum abducit vos à cognitione veri nominum ignorantia. Quid tu vocas bonum? ut sciamus, num sit aliquis te melior. GRYMPH. Quid ego scio, quid sit bonum? ex bonis esse progenitum. FLEX. Ignoras etiam

De vero bono.

num,

num, quid sit bonum? & jam tenes, quid sit melius: quomodo pervenisti ad comparativa, cùm nondum positiva didiceris? ipsos autem tuos progenitores quomodo scis fuisse bonos? qua tu id nota cognoscis? GRYMPH. Quid? negas tu fuisse illos bonos? FLEXIB. Non novi illos, quomodo de illorum bonitate possum aliquid in alterutram partem statuere? quæro modo, qua ratione adsequaris tu fuisse illos bonos? GRYMPH. Quia ita omnes prædicant, sed quorsum, rogo te, pertinent tam molestæ interrogationes? FLEXIB. Non sunt molestæ, sed necessariæ, ut accipias, quod ex me sciscitaris. GRYMPH. Confer, quæso te, in pauca. FLEX. Multis esset id explicandum, cujus tam crassa ignorantia involveris: sed quando ita es fastidiosus, dicam brevius, quàm res tanta dici postulat: defige jam oculos tuos in me, dum dissero. Qui sunt dicendi eruditi? an non ii qui habent eruditionem? Qui opulenti? an non qui habent opes? GRYMPH. Indubiè. FLEXIB. Qui ergo boni? num non ii demum, qui habent bona? GRYMPH. Ii planè. FLEXIB. Missas nunc divitias faciamus, quæ non sunt vera bona: quæ si essent, multi patre tuo invenirentur meliores: & negociatores ac fœneratores præstarent bonitate viros bonos & sapientes. GRY. Sic videtur, ut dicis. FLEX. Expende ergo attentè ac diligenter singula eorum quæ referam: an non est bonum, acutum ingenium, sagax, maturum judicium, inte- Propositio.
grum,

grum, ſanum: tum eruditio varia, & magnarum rerum atque utilium prudentia, exercitatio in rebus præſtantibus, conſilium, dexteritas in exequendis negociis: quid tu de iſtis? GRYM. Vel ſola nomina videntur mihi pulchra profectò, & magnifica, quantò magis res ipſa? FLEXIB. Age porrò, quid ſapientia? quid religio? pietas in Deum, in patriam, parentes? neceſſarios, juſtitia, temperantia, liberalitas, magnanimitas, contemtus caſuum humanorum, & fortis animus in adverſis: quid vero iſta? GRYMPH. Præſtantiſsima etiam hæc. FLEXIB. Hæc ſola ſunt hominis bona: nam reliqua omnia, quæ commemorari poßint, bonis & malis ſunt communia, atque ea de cauſa nec bona: quæſo manda ſedulò memoriæ. GRYMPH. Faciam. FLEX. Pervelim: nam ingenium tuum non malum eſt, ſed non benè excultum. Reputa igitur cum animo tuo, an tu hæc habeas, & ſi habes quàm pauca, & ea quàm tenuiter, quod ubi examinaveris acutè ac ſubtiliter, intelliges tum demum te non magnis nec multis eſſe bonis ornatum ac inſtructum, nec eſſe in populo qui pauciora habeat, quàm tu. Nam in multitudine alii ſunt ſenes, viderunt atque audierunt multa, habent experimenta rerum plurimarum: alii ſtudioſi, qui ingenium diſcendo exacuunt & expoliunt: alii capeſſunt Rempubl. alii libenter & diligenter verſant ſcriptores profuturos: alii ſunt ſeduli patresfa-

Aſſumptio.

Complexio

tresfamiliâs: alii alias artes profitentur & præstant: vel ipsi agricolæ, quàm multa ex arcanis naturæ tenent? nautæ verò cursum dierum ac noctium, naturam ventorum, positus terrarum & maris: alii ex multitudine sunt viri sacri & religiosi, qui numen piè venerantur ac colunt: alii res prosperas moderatè rexerunt, & fortiter pertulerunt adversas, quid horum tu nosti? quid exerces? quid præstas? nihil omninò, præterquam illud: Nemo est melior me, bono sum natus genere. Qui potes esse melior, qui nondum es bonus? nec pater tuus, nec avi tui, aut proavi fuerunt boni, nisi hæc habuerunt, quæ recensui: quæ an habuerint, tu videris: ego multum dubito Sed si habuerint, tu certe non eris bonus, nisi illorum fias similis. GRYMP. Plane terruisti & pudefecisti me: non invenio quod poßim vel hiscere in contrarium. GORG. Nihil horum intellexi, tenebras mihi offudisti ante oculos. FLEXI. Nimirum venis ad hæc nimis durus, & longe diversis opinionibus infectus & mancipatus. Sed tu adolescens, quo te nunc tandem nomine censes appellandum? dominum, an mancipium? GRYMPH. Mancipium, nam si ita est ut disseruisti, & intelligo nihil esse verius, complures sunt servi multò potiores ac præstantiores me. FLEXIB. Hæc ne leviter degustes, confer te domum, & solus tecum revolve, excute, perpende: quo magis versaveris, hoc veriora & certiora esse intelliges. GRYMPH. Obsecro te, adjice alia,

si qua habes: nam momento horæ sentio me adeò immutatum, ut prorsum videar mihi jam esse alius. FLEXI. *Utinam contigerit tibi, quod Polæmoni Philosopho.* GRYMPH. *Quid illi contigit?* FLEXIB. *Una Xenocratis oratione ex nequissimo & perditissimo factus est sapientiæ ac virtutum omnium studiosissimus, evasitque magni nominis philosophus, & Xenocratis in Academia successor. Sed tu, mi fili, ubi apertè cognoveris, quantum tibi ad bonitatem desit, quod aliis multis superest: verè & ex animo cedes aliis, & in eis honorabis bonitatem, qua vides illos ornatos, te autem carere. Iam & ex reputatione tuiipsius vilesces tibi ac sordebis, adeo ut nemini occurras tam abjecto contemtóque, quem non tibi anteponat conscientia tuæ mentis, non enim adduci poteris, ut credas quemquam esse pejorem te, nisi quòd illius malitia & nequitia protulit se foras: tua delitescit cautius.* GRYM. *Quid tum sequitur?* FLEXIB. *Hæc si feceris, veram ipsam solidámque ingenuam educationem atque urbanitatem, seu, ut nunc loquimur, aulicitatem adsequêre, eris gratus & charus omnibus: sed id non jam magnifacies: eris autem, quod unicè tum tibi erit curæ, gratus* DEO *immortali.*

III. Epilogus.

Cedò mi fili] Secunda pars Dialogi est Contentio, cujus tres sunt partes. Prima de documentis paternis agit. Secunda, dedocet illa documenta. Tertia nova documenta tradit.

Cedo] Priusquam ad documenta paterna veniat, disceptat

ceptat cum aulico de titulo instituendi juvenis.

Vide vir] Egregiè observavit decorum in homine aulico, qui nihil nisi magna nomina, Gothicam superbiam referentia, crepare novit. Et hæc hodie magna eaque aulica sapientia habetur: si Diis placet.

Unica] Anaphora & Polyptoton.

Delicatum] Nomen bene educati. Es ist gar zart vnd leiß gebachen.

Cæreos] Nam in funeribus magnatum cærei cum insignibus solent præferri: quod etiam olim apud Rom. usitatum fuit, ut patet ex Cicerone lib. 2. de Orato.

Atratos] pullatos, die da leid tragen.

Naso] Proverb. Naso suspendere, bey der nasen vmbziehen/ vafrè ac subdole irridere. Plin. lib. 11. cap. 32. docet à suæ ætatis hominibus nasum subdolæ irrisioni fuisse dicatum. Græcis est μυκτηρίζειν, ἀπὸ τοῦ μυκτῆρος, à naso.

Primum] Prima pars de paternis documentis: ubi observabis aulicorum κενὰς δόξας.

Novi] Novi homines dicuntur, qui sibi nobilitatem virtute pepererunt, nullis majorum imaginibus illustres. νεόπλουτοι. Vide proverb. Terræ filius.

Facinus] Ironia.

Asseclarum] lackeyen.

Segmentati] Segmentũ dicitur monile, quod sit veluti quidam circulus, vel (ut alii) quod quibusdã bracteolis, quasi præsegminibus constet & dividatur: & sic Valerius Max. utitur pro monili. Segmentum autem etiam dicitur quoddam quasi ramentum & sectio. Inde vestes segmentatæ, segmentis, hoc est, punctulis & bracteolis aureis sive argenteis minutim depictæ. Plautus: quàm pulchrè segmentatam vestem. Grapald. lib. 2. cap. 3.

Vestibus] Distributio est vestium preciosarum.

Vestis { Bombycini villosi intercisi, von geblůmtem Samat.
Texti Attalici, ein gůlden stůck. }

Attalici] Plinius lib. 8. Aurum intexere in Asia invenit Attalus Rex, unde nomen Attalicis. Vide Bayf. de re vestiaria.

Villato] Bombycinum villatum, quod villos habet, gemeiner Samet.

Præmium] Pollicitatio remunerationis.

Sed cedo] Secunda pars est, in qua dedocet illa paterna documenta. Difficilius autem esse dedocere quàm docere, ostendit Timotheus Musicus, qui duplo plus mercedis ab eo postulabat, quem alius antea docuisset, quàm qui rudis traderetur.

Progressus] Metaphora, id est, nihil didicisti, nihil profecisti, nihil scis.

Ergo paratur] Tertia pars est, in qua tradit nova documenta duo: prius est, de paranda benevolentia per moderationem veram, non fictam: alterum de vero bono.

Cedant] Primum præceptum de paranda benevolentia per moderationem veram, non fictam.

Crudum] Allegoria est, qua significat adolescentem esse impolitum & imperitum.

Si sis talis] Horatius: Tu rectè vives, si curas esse quod audies.

Si vis] Simili illustrat: cujus hîc est protasis.

Nec tu] Apodosis.

Excides] cum tibi non constabis, cum personam depones, wenn du dein selbs vergessen wilt.

Multum] Secundum præceptum de vero bono, quod Aristoteli τὸ ἀγαθὸν dicitur: cujus duplex hîc definitio ponitur: τοῦ εὐγενοῦς καὶ εὐαρέτους.

Ex bonis] Prior definitio boni: quæ reprehenditur. Εὐγενὴς, bonus est, qui est è bonis natus. Sed quinam dicuntur boni? Est ex causa efficiente definitio.

Qui sunt dicendi] Altera definitio. Εὐαρετὴς, bonus est, qui habet bona non fortunæ, sed animi. Definitio ex conjugatis: & accedit similitudo, cujus hic est protasis.

Qui ergo] Apodosis.

Expen-

Expende] Attentio & metaphora à libripende sumta.

An non est] Ostendet, adolescentem hunc non esse bonum, quia non habet vera bona, per syllogismum.

Ille vera bona habet, qui habet eruditionem & virtutes. Propositio prima est.

At hic adolescens nec eruditionem nec virtutes habet.

Hic igitur adolescens vera bona non habet.

Reputa igitur] Assumptio syllogismi.

Quod ubi] Complexio.

Nam in] Complexionis illustratio per distributionem: Estque anaphora.

Hiscere] das maul auffthun. Vide prov. Ne gry quidē.

Polæmoni] Valer. Max. lib. 6. cap. 6. Perditæ luxuriæ Athenis adolescens Polemon, neque illecebris ejus tantummodo, sed etiam ipsa infamia gaudēs, cum è cōvivio non post occasum Solis, sed post ortum surrexisset, domumque rediens Xenocratis Philosophi patētem januam vidisset, vino gravis, unguentis delibutus, sertis capite redimito, perlucida veste amictus, refertam turba doctorum hominum scholam ejus intravit: nec contentus tam deformi introitu, cōsedit etiam, ut clarissimum eloquium, & prudentissima præcepta temulētiæ lascivìis elevaret. Orta deinde, ut par erat, omnium indignatione, Xenocrates vultum in eodem habitu continuit, omissaq; re quam disserebat, de modestia ac temperantia loqui cœpit. Cujus gravitate sermonis resipiscere coactus Polemon, primum coronam capite detractam projecit: paulò pòst brachium intra pallium reduxit: procedente tempore oris convivalis hilaritatem deposuit, ad ultimum totam luxuriam exuit, uniusque orationis saluberrima medicina sanatus, ex infami ganeone maximus philosophus evasit. Peregrinatus est hujus animus in nequitia, non habitavit.

Reputatione] Vide proverb. Nosce teipsum.

Quid tum] Tertia pars dialogi, est Epilogus.

PRAECEPTA EDUCATIONIS.

Budæus. Grympherantes.

Hujus Dialogi tres sunt partes, Exordium, Narratio & Epilogus.

I. Exordium.

QUAENAM est isthæc tanta & tam subita mutatio? inter Ovidii Metamorphoses posset referri. GRYMPHER. *In pejúsne, an in melius?* BUD. *In melius, mea sententia: siquidem ab exteriore cultu, gestu, verbis, actionibus, bonam mentem licet æstimare ac colligere.* GRYM. *Est ergo quod mihi possit gratulari sodalis jucundissime?* BUD. *Ego verò & gratulor tibi, & ut pergas exhortor, magnaque indies bonæ istius frugis ut capias incrementa, Deum ac divos omnes comprecor. Sed amabo, ne invideas familiari tam charo artem adeò præstantem ac præclaram, quæ brevi tempore tantum humano pectori probitatis instillet.*

II. Narratio.

GRYMPH. *Ars & fons rivi hujus uberrimus est Flexibulus, si eum nosti.* BUD. *Quis non norit virum, ut à patre & majoribus natu audivi, ingentis prudentiæ atque usus rerum, huic civitati non notum modò, sed charum & in paucis venerabilem? O te felicem qui illum propius audiveris, & sis cum eo familiariter versatus, unde tantum retuleris fructus ad rectam compositionem morum!* GRYM. *Quanto tu felicior, cui hæc domi nascuntur, quod ajunt: & potes non semel aut iterum, ut*

ego,

ego, sed quotidie, quoties libuerit, talem patrem audire, maximis & utilißimis de rebus sapienter disserentem. BVDAEVS. *Omitte nunc ista, de te & Flexibulo procedat sermo institutus.* GRYMPHE. *Taceamus igitur de patre tuo, quando ita est tibi cordi, redeamus ad Flexibulum: nihil viri illius sermone dulcius, nihil consiliis cordatius, nihil præceptis gravius, prudentius, sanctius. Itaque gustu hoc, quem mihi ille de se præbuit, aucta & incensa est mihi mirum in modum sitis hauriendi ex tam dulci fonte sapientiæ. Narrant qui orbem terrarum describunt, fontes esse admirabiles ingenii ac naturæ, alios inebriare, alios ebrietatem tollere, alios stuporem immittere, alios somnum: fontem hunc hanc ego vim habere sum expertus, ut ex bruto efficiat hominem, ex perdito & nequam frugi, ex homine angelum.* BVD. *Possem ne & ego ex eodem fonte aliquid vel extremis labris delibare?* GRYMPHE. *Quid ni poßis? domum tibi, ubi habitet, cõmonstrabo.* BVD. *Isthuc quidem aliàs: tu verò inter deambulandum (aut desideamus si lubet) aliquot mihi refer ex illius præceptionibus, quas optimas esse & potißimas censeas.* GRY. *Equidem recensebo lubens, cum ut tibi gratificer & prosim, si queam: tum ad meam recordationem.*

Præcepta.

I. *Primùm omnium docuit me, debere unumquemq; non magnificè de se sentire, sed moderatè, seu veriùs demißè: hoc est optimæ educationis, ac veræ comitatis solidum fundamen-*

II. tum ac proprium. Hinc navare operam, ut animum excolat atque exornet cognitione rerum, scientia & exercitamentis virtutum: alioqui hominem non hominem esse, sed pecus.
III. Rebus sacris interesse, cum maxima attentione & reverentia. Quicquid illic sive audias, sive videas, existimare magnum, admirabile, divinum, & quæ captum tuum exuperent.
IV. Crebrò te Christo commendare precibus, in illo spem & fiduciam tuam omnem collocandam.
V. Parentibus obsequentem te præbere: inservire illis, ministrare, & quacunque valeas commodare, prodesse, adjuvare.
VI. Magistrum colere, ac diligere tanquam parentem, non corporis, sed (quod amplius est) mentis.
VII. Ministros Domini revereri, illorúmque doctrinæ audientem se exhibere: qui referunt nobis personam Apostolorum, atque adeo Domini ipsius.
IIX. Senibus assurgendum, caput nudandum, attentè illos auscultandum, à quibus ob diutinum usum rerum collecta sit prudentia.
IX. Magistratus honorare, illisque aliquid imperantibus dicto esse audientem, quibus cura nostri à Deo est commissa.
X. Viros magni ingenii, magnæ eruditionis, probos, suspicere, admirari, colere, bene illis cupere, & amicitiam illorum ac familiaritatem expetere, ex qua magni fructus reportentur: & is potißimum, ut similes eorum evadamus. Denique iis, qui sunt in dignitate, debere reverentiam: idcirco impendendam esse liberaliter ac libenter. Quid tu de hisce præceptis dicis?

BVD.

BUD. *Mea quidem ſententia, deprompta eſſe ex divite quodam prudentiæ promtuario. Sed dic mihi, an non ſunt multi ad dignitatem evecti homines indigniſsimi, veluti ſacerdotes non reſpondentes tanto titulo, & magiſtratus pravi & ſenes ſtulti, ac deliri? Quid quæſo de his ſentiebat Flexibulus? an eodem eſſe honore proſequendos, quo potiores?* GRYMPH. *Non ignorabat Flexibulus eſſe tales non paucos, ſed non concedebat ætati noſtræ, ut nos inter ejusmodi & alios poneremus diſcrimen: nondum tantum eſſe nactos nos vel ingenii, vel prudentiæ, ut id poſsimus dijudicare? eam cenſuram & ſapientibus eſſe viris relinquendam, & iis quibus illorum eſt regimen commiſſum.* BUD. *Rectè hoc quidem, ut videtur.* GRYMPH. *Addebat, non debere adoleſcentem in nudando capite lentum eſſe, non in flectendo genu, non in unoquoque honorificè appellando, non in comi ſermone ac moderato. Non decere multum loqui apud majores natu, aut ſuperiores: id enim alienum eſſe à reverentia illis debita: ſed tacitum illos auſcultare, & ab eis haurire prudentiam, cognitionem rerum variarum, rectam atque expeditam loquendi rationem. Brevíſsima eſt ad ſcientiam via audiendi diligentia. Prudentis & ingenioſi eſſe, de rebus judicare, uniuſcujusque de eo quod probè novit: ideoque negabat ferendum eſſe adoleſcentem ad pronunciandum ac definiendum proclivem: debere illum in ſtatuendo aut judi-*

Prolepſis.

Solutio.

XI.

XII.

XIII.

XIV.

cando, de re quantumcunque levi ac exigua esse cunctabundum, seu potius timidum, conscium videlicet suæ ignorantiæ. Quòd si in judicio de re qualibet par est adolescentem esse talem: quid fiet de literis, de disciplinis, de legibus patriis, de ritibus, de moribus atque institutis majorum? de quibus non solum sententiam ferre juvenem, sed nec disputare aut vocare in quæstionem sinebat Flexibulus: non cavillari, non rationem reposcere: sed tacitè ac modestè obtemperare: quod dictum Platonis autoritate fulciebat, magni in sapientia viri. BUD. *Quid si sunt leges aut mores pravi, iniqui, tyrannici?* GRYMPH. *Idem & de hoc Flexibulus disserebat, quod de senibus. Non ignoro equidem, ajebat ille, multos esse receptos in civitate mores parum probabiles, sanctas esse leges aliquas iniquas: sed tu imperitus, inexpertus rerum vitæ, quomodo id censebis? nondum eo pervenisti eruditione & usu rerum, ut de eo possis statuere. fortasse quæ tua est ignorantia, vel animi libido, improbas esse leges judicabis, quæ sint rectissimæ & magno consilio statutæ: rursum verò optimas, quas justum esset abrogare: sine illos de iis inquirere, disputare, definire, qui causam queunt de singulis probabilem reddere: tu id non posses.* BUD. *Ita est planè. Perge ad alia.* GRYMPH. *Nullum esse decentius aut gratiosius adolescenti ornamentũ, quàm verecundiam. Nihil impudentia tetrius aut invisius. Magnum esse ætati nostræ ab ira periculum:*

Alia prolepsis.

XV.

XVI.

lum: ab ea nos ad turpes actiones corripi, quarum paulò pòst gravißimè pœniteat. Multum itaque esse cum illa luctandum, quoad omninò prosternatur, ne nos ipsa prosternat. Ociosus homo, saxum: male occupatus, belua: benè occupatus, verè homo. Homines nihil agendo male agere discunt. Cibum & potum metiendum naturali desiderio famis aut sitis, non gulositate, aut pecunia libidine infarciendi corporis. Quid potest dici tetrius, quàm hominem ea ingerere in suum corpus, edendo & bibendo, quæ exuant illum humana conditione, transferant in beluinam, aut etiam in stipitem? Compositio oris & cuncti corporis, quemadmodum animus sit intus habitus, loquitur. Sed ex universa exteriore facie nullum animi speculum ajebat esse certius, quàm oculos: ideoque convenire, illos esse sedatos & quietos, non elatos, nec dejectos, non mobiles, sed nec rigentes: faciem ipsam non in torvitatem nec ferociam compositam, sed ad hilaritatem atque affabilitatem. Sordes & obscœnitates abesse decet à vestitu, victu, convictu, sermone. Sermonem nostrum nec arrogantem ac pavidum, nec vicißim abjectum & effœminatum volebat esse: simplicem autem & minimè captiosum, non detortum ad pravas interpretationes: nam id si fiat, nihil erit tutum loqui, & frangitur generosa loquendi indoles stultis ac ineptis cavillis. Manus, cum verba facimus, non jactandas, non caput quatiendũ, non crispandum latus: non

XVII. XIIX. XIX. XX. XXI. XXII.

non vultum corrugandum & distorquendum, non pedes agitandos. XXIII. *Mendacio nihil dicebat esse tetrius, nec aliud æquè abominabatur. Intemperantia facit nos beluas, mendacium diabolos, veritas semideos: à Deo natam esse veritatem, à diabolo mendacium: nec est aliud ad vitæ communionem perinde damnosum. Multo justius debere ab hominum consortio pelli mendacem, quàm qui est furatus, aut qui aliquem pulsavit, aut qui adulteravit numum. Quæ enim esse potest vel rerum ac negotiorum contractio, vel consociatio sermonum cum eo, qui aliud loquitur, aliud sentit? cum reliquis vitiorum generibus esse potest aliqua, cum hoc nulla.* XXIV. *De sodalibus & amicitiis adolescentum multum ille loquebatur, & accuratè, non exiguum id esse momentum ad probitatem, aut flagitia nostræ ætatis: transire ad nos amicorum nostrorum & sodalium mores tanquam contagio: & tales nos ferè fieri, quales ii sint, quibus cum versemur: idcirco eam in rem magnam esse diligentiam atque operam navandam. Nec permittebat nobis, ut ipsi amicitias & familiaritates deligeremus: sed ut à parentibus, aut magistris, aut educatoribus nostris delectas & traditas acciperemus, & coleremus: illos ratione duci in eligendo, nos autem rapi prava animi aliqua cupiditate, vel libidine: quod si quo casu in necessitudines inciderimus inutiles aut noxias, à superiore autoritate admonitos, abjicere illas quàm primùm oportere.*

tere. Dicebat ille quidem cum alia permulta, magna sanè atque admirabilia, tum hæc ipsa diffusius & exactius. Sed hæc erat propemodum de recta adolescentiæ educatione summa. Bredæ Brabanticæ, die Visitationis D. Virginis. 1538.

III. Epilogus.

Ovidii] Ovidius librum scripsit de transformationibus seu transfigurationibus rerum: quem inscripsit Metamorphosin, à μέτα & μορφή.

Cultu] Argumentum ab adjunctis & effectis.

Ars & fons] Altera pars dialogi hîc est, Narratio & præceptorum recitatio.

Domi] Proverb. Domi nascitur.

Itaque gustu] Allegoria est seu continua metaphora à fonte sumta.

Narrant] scilicet Physici & Geographi. Vide Plinium lib. 2. cap. 103. Est autem hîc distributio ex effectis.

Labris] Vide proverb. Primoribus labiis: &: Summis labiis.

Equidem recensebo] Sequuntur aureæ regulæ vitæ viginti quatuor. I. De modestia. II. De cultu animi. III. De concionibus. IV. De precatione. V. De pietate erga parentes. VI. De magistris. VII. De ministris Dei. IIX. De senibus. IX. De magistratu. X. De viris magnis. XI. De civilitate. XII. De garrulitate. XIII. De diligentia. XIV. De judicio. XV. De verecundia. XVI. De ira. XVII. De otio. XIIX. De abstinentia in cibo & potu. XIX. De vultu, facie, oculis. XX. De vestitu. XXI. De sermone. XXII. De gestu. XXIII. De veritate & mendacio. XXIV. De amicitia & societate bonorum.

Senibus] Species honoris per distributionem, ut sunt assurgere, caput aperire, auscultare.

Usum] Hinc poëta rectè de senibus:

Non omnia serior ætas
Quæ fugiamus habet, seris venit usus ab annis.

Sed dic mihi] Prolepsis est seu objectio.

Non

Non ignorabat] Solutio objectionis, quæ constat ſyllogiſmo.

Judicium & cenſura eorum eſt, qui ingenio & prudentia præſtant.

At adoleſcentes ingenio & prudentia rarò præſtant.

Adoleſcentum igitur non eſt, judicium aut cenſuram de rebus exercere.

Concedebat]Complexio.

Nondum] Aſſumtio.

Eam cenſuram] Propoſitio.

Quod ſi in] A minori ad majus.

Cavillari] Argutari, klügeln.

Quid ſit ſint] Alia prolepſis ſeu objectio: quæ eodem modo, quo ſuperior, ſolvitur.

Non ignoro]Proſopopœja directa.

Mendacio] Hic locus de mendacio variis argumentis tractatur.

Intemperantia]Primus locus ab effectis.

A Deo] II. A cauſa efficiente.

Multò] III. A comparatis.

Quæ enim] IV. A diſſentaneis. Hinc apud Homerum Achilles.

ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσι,
ὅς χ᾽ ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ εἴπῃ.

Ego quidem à pueritia mendaces & mendacium ſummo odio proſecutus ſum, nec me unquam ullus verax homo mendacem vocavit.

Loquitur] V. A definitione mendacis.

Dicebat] Tertia pars dialogi, Epilogus.

Τῷ Θεῷ δόξα.

Finitum Altorphii ad diem 21. Martii, anno 1582.

P. M.

P. M. FR.

Joan. Thomæ Freigio

S. D.



UM à ME SUMMOpere contendiſſet Typographus, ut in notas tuas indicem, qui ſub calcem colloquiorum VIVIS referretur, conficerem; illud ſanè mihi in primis permoleſtum accidit, quod tu non ſolum rationem ejus inſtituendi commonſtraſſes nullam, ſed ex Noricis etiam, quàm opinatus eram, citius diſceſſiſſes. tamen cum ob rei literariæ ſtudium ſingulare, quo mirifice teneor, in gratiam eorum, qui quaſi manuductione indigere videntur, non modò quidquid hoc eſt laboris, poſthabitis rebus magis ſeriis, libenter ſuſcepi, verùm etiam, licet alio commigrans perfeci. quàm bene, tute judicaris. Proverbia abs te partim explicata, partim ſolummodo citata, ſimul in ordinem rectè congeri poſſe nobis viſum eſt. Adjecimus in fine au-

ctorum

ctorum nomina, quorum usus potissimum es testimonio. Vellem & ipse interpretationem Græcis, quæ alicubi ex auctoribus citavisti, addidisses Latinam. Tuum jam erit, FREIGI eruditissime, cum singula per otium ad amussim percurrere, tum si quid secus, ac velis, habuerit, illud in secundam editionem rejicere, meamque hanc qualemcunque opellam boni æquique facere. Vale. Dat. Augustæ Vindelicorum, ex Volfiano Muséo, Eidib. sextilis, anno 1582.



INDEX

7

INDEX RERVM ET VERBORVM, QVAE IN D. FREIGII NOTIS continentur.

Prior numerus paginam, alter lineam notat.

V Ampho-

G.

H.

Lychnus

Murænæ.

Ophir

Pollu-

Q.

R.

S.

Schedia

Tiro-

FINIS.

AVCTO-

AVCTORVM NOMINA, QVI IN HIS NOTIS aut citantur aut illustrantur.

A.

B.

C.

D.

V.

X.

Z.

FINIS.

DIALOGORVM VIVIS ELENCHVS.

NORIBERGÆ

Excudebat Paulus Kauffmann.

